


N

Diese being.

all

not

B. 790




— 4 —
Ex libris Bartholomaei Saur
Duderstadiani.

Anno salutis nostrae

i 62, 8.

Disce, sed à doctis, indoctos ipse
doceo.



Faint, illegible ghosting of text from the reverse side of the page, appearing as light blue or greyish impressions.







MERCVRII GALLOBELGICI,

M. GOTARDO ARTHUSIO p. m. Suc-
CENTVRIATI,

Sive

RERVM IN

GALLIA ET BELGIO PO-

TISSIMVM; HISPANIA QVOQVE,

ITALIA, ANGLIA, GERMANIA, VNGA-

ria, Transylvania, vicinisq; locis, à nundinis Francofor-

diensibus 1626. autumnalibus, ad vernaes vs-

que anni 1627. cum primis gestarum.

HISTORICÆ NARRATIONIS

continuata,

TOMI DECIMI SEXTI,

LIBER SECVNDVS.

Verè & fideliter conscriptus per

GEORGIVM BEATVM Fr.



FRANCOVRTI,

Sumptibus vidua Sigismundi Laetorii, Anno 1627.



Anno
1626.



MERCVRII GALLO-
BELGICIM. GOTHAR-
DO ARTHVSIOP.M.
SUCCENTURIATI,

TOMI XVI. LIBER II.

EO RVM, QVÆ à NVNDINIS
Frankofurtanis Anni 1626 autumnalibus,
vsque ad nundinas vernaes anni 1627.
memoratu digna acciderunt,
relationem conti-
nens.

EXPECTABAM equidem beneuole
Lector, cum aliis patriæ amantibus,
felicissimum illud seculum, de quo
Tibullus cecinit:
Non acies, non ira fuit, nec bella, nec enses
Immiti seuis duxerat are faber. Et Ovid.
Non galea, non ensis erat, sine militis usu,
Mollia secura peragebant otia gentes.

A 2 A6



Mercurii Gallobelgici

4

Anno 1626. At vana hæc me fefellit expectatio, pro pace enim bellum, pro otio molestias, pro tranquillitate tempestatem, pro justitia cædes, rapinas, incendia, & pro virtute omnium vitiorum sentinam experimur: & monumentis nostris inserere cogimur. Proindeque cum Euripide exclamare mihi licet,

*O pax opulenta, & beatos inter pulcerrima Divos,
Desiderium me tui habet, quam tarda moraris!
At qui metuo, ne prius laboriosa vincat senecta,
Quam jucundum tui tempus inspexero.*

Spe enim fuerat, opera quorundam quietis, & boni publici amantium Principum pacem inter belligerantes componi posse, fuere tamen, qui rem adeo amabilem & popularem repudiarunt, & vltro oblatam amplecti noluerunt, bellum forsan quaestuosius pace fore existimantes. Ast verissima huius mali causa ipse est Regnator Olympi, Deus omnipotens, qui exigentibus peccatis nostris, pacem nobis hætenus iratus concedere noluit. *Quicquid enim patimur mortale genus, ut Seneca ait in Oedip. Quicquid facimus, venit ex alto.* Ne miremur itaque, tot bellis & motibus orbem Christianum præteritis jam aliquot annis, concussum esse, & adhuc concuti, omniaque historiarum monumenta, fere aliud nihil præter horrida truculenti Martis arma

arma personare, nullo propemodum paci- Anno
 ficis negotiis loco relicto. Cum vero inter 1626.
 reliquas Christiani orbis regiones Inferioris
 Germaniæ Prouinciæ Martem truculentum
 adeo & infestum ab eò vsq; tempore, quo
 ab Hispaniarum Regis obedientia, & jago
 sese subtraxere, huc vsque sunt expertæ,
 vt Bellona sedem perpetuam iis in regioni-
 bus posuisse videri possit, nec etiam hoc
 tempore quietis ac pacis spes vlla sit, sed
 potius maius incrementum indies acqui-
 rere bellum videatur, ab iis motibus exor-
 dentes, semestralis Relationis nostræ con-
 tinuationem auspicabimur.

Confederatæ hæ Prouinciæ Belgicæ
 mense Sept. superioris anni arcem Keldri-
 cianam astu intercipere conantes, magna
 vi nauium instructa, fluentib⁹ vndis ma-
 rinis eam aggrediuntur, & Incolis deditio-
 nem imperant, extrema quæque reluctan-
 tibus interminati: Verum cum obsessi ob-
 latas condiciones animose respuerent, &
 aggressores fortiter repellerent, amissis
 duabus insignioribus nauibus, quarum vna
 commeatu, altera triginta equis, aliisque
 pretiosioribus rebus instructa erat & desi-
 deratis ex suis nonnullis militibus, receptui
 canere, coacti fuere, naues vero incendio

*Confedera-
 ta Belgica
 Prouincia
 arcem Kel-
 dricam irri-
 to conatus
 tentant.*

Anno consumptæ, & præda in arcem inuēcta. So-
 1626. luta obsidione Spinola, arcem ingressus,
 munitionibus & propugnaculis omnibus
 magna diligentia perlustratis, ea quæ ad
 ampliorem defensionem necessaria vide-
 bantur, instrui & adornari curauit.

*Dania Rex
 exercitum
 lustrat, &
 copias deno-
 uo contra-
 hit.*

Superiori libro Daniæ Regis copias ju-
 xta villam & arcem Lutheram, ab Illustri
 Comite, D. Tillio, Cæs. Majest. exercitus
 Generali Duce, cæsas, & internecone
 prope deletas esse, dictum, accepta vero
 hæc clade Daniæ Rex quamprimum vires
 & copias recolligere, conatus, exercitum lu-
 strat, & ultra præsidiarios, qui variis locis
 impositi, merebant, sedecim peditum, &
 octo equitum millia sub signis recensuit;
 Verum paucitati huic diffusus, copias de
 nouo conscribere constituit. Interim Sue-
 tiæ, Britannia ac Gallia Reges, vt & Infe-
 rioris Belgii Ordines, confederatos, quin
 etiam vrbes & oppida, literis ad constan-
 tiam, & belli prorogationem hortatus est,
 numerato post hæc militibus stipendio,
 equitatum superato Albi in Marchia Bran-
 denburgicæ confinia traduxit: ipse vero
 20. Sept. Blankenesii substitit, exercitu
 per territorium Hamburgensium distribu-
 to: Hinc subsequuntur copiarum equestres, sub
 im

imperio Generosi Comitis Solmensis vr- Anno
bem Stadensem turmatim ingressæ, statiuæ 1626.
in territorio passim collocarunt.

Grassante hoc modo Marte in Saxo- *Pax inter*
nia Inferiore Pax inter S. Cæsar. Majest. & *Cæsarem &*
Illustr. Brunsvicensium Ducem, constituta *Ducem*
est, sancitæq; certæ huius leges, & omnes *Brunsvicen-*
Ducis subditi, qui sub signis Regis Daniæ *sium consti-*
militarent, publico edicto reuocati fuere. *tuta.*

Nec ab altera Saxonix parte, quies, oc- *Res inter*
cuparat superiori æstate Suetiæ Rex, non- *Suetia, &*
nulla Borussix loca, & in potestatem rede- *Polonia Re-*
gerat insignes quasdam circa Dantiscum *ges gesta.*
vrbes, huic copias opponit Poloniæ Rex,
& 12. Sept. anni 1626. castra ad urbem
Kraudenitz locat, sex millibus peditum, &
duobus equitum subsequi iussis. Dantisca-
ni interim neutri partium sese conjunctu-
ros spem faciunt, & inani pacis tractatione
simulatione Suetiæ Regem destinant, qui
tandem fraude deprehensa, regionem vr-
bis longe lateq; depopulatus, grauissimo
eam damno, & tonnarum (vt vocant) au-
ri aliquot summam excedente afficit, pe-
coribus omnibus abactis, & ingenti aspor-
tata præda, cæsis etiam quatuor Polono-
rum millibus, qui prope Mariæburgum
obuiam progressi fuga dissipati, occubue-

Anno re. Quatuor inde millia peditum, è Litua-
 1626. nia, sub imperio Turriani Comitis, ei sub-
 sidio missa, in castra appulere, Interea Sue-
 ci arcem Mündam aggressi, cuniculis actis,
 & fossis exploratis, occupare eam conan-
 tur, sed, summa obsidentium virtute repul-
 si, cum damno pedem referre coacti sunt.

Hinc munitione duodecimo huius men-
 sis, juxta Vistulæ fluenta erecta, transitu
 Polonos prohibere conati. Verum cum
 ipse Poloniæ Rex 24. eiusdem mensis ca-
 stra ad urbem Mevam, quæ Suecico præsi-
 dio tenebatur, meratus fuisset, tria pedi-
 tum millia, & mille quingenti equites,
 in subsidium à Sueciæ Rege missi, summo
 silentio incedentes, Polonis obviam facti,
 in hostes incidunt, qui ipsorum aduentu
 mature cognito, eos aggrediuntur, sed fu-
 gæ initio à Cossaccis facto, repulsi, 200,
 amissis retrocedunt, & in silvam propin-
 quam sese recipiunt, vbi noctem silentio
 transigentes, hostem postera die iterata vi-
 ce aggressuri substiteri, qui tamen noctis
 beneficio vsus, pedem retulit, iis qui è suo
 exercitu occubuerant, clam sublatis: &
 ponte Tirsaviensi disrupto, Weissenber-
 gam castra transtulit. Insecuti vero Poloni
 29. Sept. castra hostium oppugnare cona-
 ti,

ti, trecentos ex iis cædunt, 150. è suis desi- Anno
 deratis: Verum Suetiæ Rex vniuersis co- 1626.
 piis Polonica castra adortus, tanta vi eos
 aggressus est, vt quatuor millibus cæsis Po-
 lonus vrbs obsidionem soluere, & versus
 Poloniae oras retro cedere cogeretur.

Mansfeldius interea Morauiam ingres- *Mansfel-*
 sus Illustriss. Principis Liechtensteinii di- *dus in Mo-*
 tiones, ferro, flammaq; depopulatus, & co- *rauiam ex-*
 piis indies augetcentibus, Osteram, Cardi- *currit.*
 nalis Dietrichsteinii oppidum, vi occupat,
 & deprædatur. Huic copias opponit Illustr.
 SaxoLauenburgicus, verum Mansfeldius
 frustra tentato Leiptnitzo, & quatuor ma-
 joribus tormentis, viæ difficultatibus im-
 peditus, relictis, Cremetzieram progredi-
 tur, & fluuium tranare conatus, ab oppida-
 nis, qui pontem diruperant, repulsus, Vn-
 garia regnum petit, & 8. Sept. Trenschi-
 num, quarto lapide, Vngarica Neapoli di-
 stantem, appulit, ponte præsiariis impo-
 sitis, qui à ducibus Pechmanno, & Isalono
 partim trucidati, partim captiui sunt abdu-
 cti. Hinc montana Vngarici regni versus
 iter instituit, sed ponte, mandato Palatini
 dejecto, reditus interclusus. Dux interim
 Transyluania tria equitum millia, ei subsi-
 dio misit, & 27. Sept. vniuerso cum exer-
 citu

Anno citu Vngariam petit, suas cum Mansfeldij
1626. copias conjuncturus.

Ad retundendum igitur huius impetum,
Illustr. Friedlandiæ Dux, validissimis con-
tractis copiis, Vngariam & ipse ingreditur,
& suas cum Palatino Vngarico vires con-
jungit.

*Dux Vinar-
ia Silesiam
aggreditur.*

Cum vero Vinaræ Dux, qui huc vsq;
Mansfeldio adhæserat, expeditionem in
Silesiæ Ducatum, ac Moraviæ Marchiona-
tum instituisset, & oppida nonnulla, inter
quæ Jägerndorffium & Opalia præcipui
nominis, in potestatem redacta, præfidiis
firmasset, Friedlandiæ Dux Comitem à
Schlik, magnis instructum copiis, vna cum
Comite Serinio juniore, Croatarum Du-
ce, vltiorem hostis irruptionem retar-
daturus, Silesiis subsidio mittit, qui cum
repentino huic hostium irruptioni pares
esse non possent, Illustr. Silesiæ, & Lignicii
Dux publico edicto proposito subditos in
communis patriæ hostem excitare conatus
7. Sept. sublequentis tenoris mandatum
publicari curat.

*Mandatum
Ducis Li-
gnicensis
contra
Mansfel-
dium.*

Minime sese dubitare inquit, quin omni-
bus Silesiæ Ducatus Incolis notum sit,
quantas in turbas & pericula Mansfeldius,
eiq; conjuncti vniuersas Silesiæ Prouincias

con-

coniecerint. Quamuis verollust. Friedlan- Anno
diæ Dux, &c. validissimo instructo exerci- 1626.
tu eum persecutus sit, Ordines etiam Prin-
cipes & Status huius florentissimæ Prouin-
ciæ, magno numero in vrbe Olauensi con-
gregati, constituerint, vt loco publicatæ
congregationis Prouincialis, solita Defen-
sio Prouincialis, Equestris, prout illa anno
decimo nono huius seculi, in Conuentu
Principum constituta est, instituatur, & in-
tra duarum hebdomadarum spatium, vna
cum illis, qui ex vrbibus huius Ducatus for-
tito lecti, militiæ nomen dederint, sub im-
perio supremi exercitus Prouincialis Du-
cis, hosti opponatur, cum tamen ad huc
incertum sit, quamnam Prouinciæ partem
potissimum hostis sit aggressurus, necessa-
rium fore, vt præter dictas copias, omnes
etiam vrbes, & prouinciæ contra hostiles il-
lius impetus paratissimas, & instructissimas
se se exhibeant. Præsentib⁹ proinde literis
se se omnes status, Prouincias, vrbes, & in-
colas inclyti Ducatus Silesiaci, exhortari,
admonere, & mandare, vt prædictis de-
cretis Prouincialibus debitam obedien-
tiam præstare, & ingruente necessitate o-
mnes & singuli patriæ amantes, quã primũ
Conuocatio Prouincialis facta fuerit, ar-
mis

Anno 1626. mis probe instructi, juxta tenorem Decreti Prouincialis, loco destinato compareant, & ad defensionem sui ipsius, conjugum liberorum & familiae, patriaeq; aman-
tissimae, sub signo & Ducibus constitutis, hosti resistant. Quae omnia praeter quam quod debitae obedientiae officium hoc ab Incolis omnibus huius Ducatus exigat, etiam perpetuae laudi futura, S. Cael. etiam Majest. clementissimo gratiae suae fauore remuneraturam certo sibi persuadeant, &c.
Dab. Lignitij 7. Sept. 1626.

*Secundum
mandatum
eiusdem
Ducis.*

Et haec quidem praedicto modo quoad defensionem Prouinciae constituta fuere, verum, cum nihilominus Vinariensis, au-
gescente indies exercitu, crebris excursio-
nibus & depraedationibus Prouinciam af-
fligeret, alterum mandatum subsequenter
tenoris ab eodem Duce promulgatum
fuit.

P. P. Sacr. Cael. Majest. Dominum no-
strum clementissimum amplissimis licet à
Deo ter Opt. Max. ornatae victoriis, &
triumphis nobilissimis reportatis, nihilo-
minus importuna pertinacia hostium coa-
ctam, grauissimis curis de incolumitate &
tranquillitate amplissimi Ducatus Silesii di-
strahi, eaq; de causa aliquoties saluberrimis
editis

editis constitutionibus tum paci eius la- Anno
 pientissime prouidisse, tum copiarum mi- 1625.
 litarium supplementa conscripisse, & tran-
 situs, exactiones, ac deprædationes omnes
 grauius sustulisse, cauisseque ne iis oppres-
 si incolæ in deplorandâ conuicerentur ca-
 lamitatem. Et quidem eum in finem edi-
 cto 6. Martij anni 1625. transitus, præsi-
 dia, exactiones & deprædationes omnes,
 seuerissime inhibuisse, & mandasse, ut o-
 mnes militum Duces & præfecti ipsi etiam
 milites, præter ea, quæ à subditis, & incolis
 Ducatus Silesii, præsentem pecunia ipsis tra-
 dantur contenti, nihil aliud vi, minisve exi-
 gant, conscripti vero milites absq; vlla mo-
 ra extra Prouinciam abducantur: Quin et-
 iam, cum nonnulli militum præfecti hisce
 contrauenire præsumpserunt, 27. Maij,
 prædicti anni 1625. hunc in modum ad se,
 Summum Ducatus Silesii Præfectum, per-
 scripisse: Volumus igitur, & mandamus,
 ut in conscriptione militum, quæ nostro
 mandato suscipitur, omnia iuxta tenorem
 mandati nostri Cæsarei 6. Martij præsentis
 anni dati administrantur, nullum vero
 subditis damnum inferatur, nec vllæ ho-
 spitationes, exercituum lustrationes in
 Ducatu nostro Silesio instituantur. His por-
 ro

Anno ro militum ductoribus, quibus mandato
 1626. nostro in prædicto Ducatu Silesio militis
 conscribendi negotium datum, siquidem
 mandati illius Cæsarei fidem tibi legitime
 fecerint, facultas quidem conscribendi mi-
 lites concedatur, sed hospitationes, exa-
 ctiones, deprædationes nulli vllatenus
 permittantur, delinquentes vero, qui huic
 nostro mandato contrauenire ausi fuerint,
 seuerè puniantur.

Hocce vero Cæsar. Majest. mandatum
 aliquoties renouatum, & 5. Jun. præfati
 anni 1625. ita declaratum esse, nulli mili-
 tum licere, quicquam præter ea, quæ ab In-
 colis Ducatus Silesiaci, prompto animo, &
 pro præsentis pecunia subministrantur, exi-
 gere, repetitumq; etiam idem mandatum
 mense Martio, & Junio anni 1626. addi-
 tumque, nolle Cæs. Majest. prouinciam
 hanc cuiusq; libidini & rapacitati expone-
 re: sed vt omnes militum ductores, qui-
 bus conscribendi militis facultas data, in-
 primis mandati illius legitime fidem apud
 supremum Silesiæ Præfectum faciant, & in
 omnibus editis hac de re constitutionibus
 & mandatis morigeros sese præbeant.

Cum igitur ex hisce sæpius iteratis man-
 datis, & edictis, Cæsar. Majest. voluntas, &
 paterna

paterna dilectio, erga Ducatum hunc ab- Anno
unde pateat, experientia vero doceat, per- 1626.
petuis eiusmodi deprædationibus, exactio-
nibus, delectu militum, rapinis, cædibus,
& furtis florentissimam hanc Prouinciam
in extremam præcipitatam calamitatem,
etiam hosti ad libitum in tantum exposi-
tam esse vt nemine repugnante milites in
ea conscribere temerario ausu præsumat:
Hisce aliisque vrgentibus causis sese prædi-
cta Cæsar. Majest. mandata reperere, &
omnibus ac singulis Silesiæ Ducatus inco-
lis significare voluisse, mandareque & ad-
hortari clementissime, vt præsentem Patriæ
Reip. calamitatem maturius considerare,
remediumque ei adferre summis viribus
dignentur, inprimis autem eiusmodi clan-
destinas militum conscriptiones, & dele-
ctus, nulli absque speciali suo permissu &
concessione concedant, milites vero sin-
gulatim in publicis diuersoriis diuertentes
eo adigant, vt iis, quæ præsentem pecunia
comparata, vel ab incolis gratis suppedita-
ta ipsis fuerint, contenti, absque mora in
Cæsarea castra sese recipiant, Renuentes
vero, & qui absque speciali concessione
sua conscripti, minis exactionibus, & rapi-
nis subditos contra gentium jura, & S. Cæs.
Majest.

Anno Majest. mandata affligere tentauerint, moderate quidem primum, sed resistere audentes, coniunctis viribus, Prouincia exigant, & patriam ab huiusmodi exactoribus saluam præstent, &c. Dat. Lignitij 15. Sept. 1626.

Hicce cognitis Vinariæ quidem Dux Supremum Silesiæ præfectum literis suas in partes pertrahere, & Defensionem Prouinciale in institutam impedire conatus est, nonnulla vero interea loca inter quæ Zilla, Zigmena, Angelsburgum, ditionis Friedenthalia oppida, in potestatem redegit.

Transyluania Dux in Vngariam proficiscitur.

Transyluania etiam Dux hoc rerum statu, in Vngariam descendens, magnas copias contraxit, ob idq; male suspiciandi contra se in magnam præbuit occasionem: quamuis Legatis ad S. Cæs. Majest. missis legati Sueci liberationem vrgeret, & obedientiam Eidem amplissime deferret, nihilque sibi cum Mansfeldio negotii intercedere, prolixè protestaretur.

Turca nonnulla Vngaria loca depopulantur.

Nec tamen sic suspicionem sinistram de se conceptam penitus submouere potuit, quæ ex eo indies augebatur, quod non solum magnam Turcarum manum penes se haberet, sed etiam Turcæ, Regni Vngari nonnulla loca, quæ sub ditione S. Cæs. Majest.

Majest. erant, armis aggressi, depopulati, Anno munitissimam S. Andreæ arcem, 23. Sept. 1626. in potestatem suam redegerant, & Nouæ Domus confinia incendio deuastarant: quin & ipsam Nouam Domum oppugnare conabantur: Nec vero hisce acquievere Turcæ, sed Bassa Budensis, congregato Strigonii milliū aliquot exercitū, 24. Sept. Werebellum versus excurrit, subditos in fidem adigit; pagos nonnullos incendio deuastat, & magnum captiuorum numerum, cum ingenti præda abducit: Verum Werebellam arcem aggressurus magna præsidiariorum virtute, repulsus pedem retroferre coactus est. Hinc magno militum numero, & 19. tormentis æneis instructus Thomasverium excurrit, & oppidum nullo fere resistere auso, deditioe capit. Castra inde ad munitissimam urbem Nouigrad metatur, & oppugnationem magna vi, ac tormentis nouem maioribus, 30. Sept. sed irrito fere successu instituit: Ab Illustr. enim Friedlandiæ Duce, animose repulsus, retro cessit: qui victoriæ insistentis Danubio pontem imponit, & Turcas magna virtute insecutus, Waitzam siue Vaccium in S. Cæs. Majest. redegit potestatem: Posonio interim etiam Cæs. Majest. jussu præsidium impositum.

B

Nec

Anno 1626. Nec satis malorum à Bellona, verum & ex altera parte horrenda Mors æquo pede Principum turres pulsat, dum 17. Septembris, feria quinta, Reuerendissimus Princeps, Joannes Suicardus S. Rom. Imperii Elector, & Archiepiscopus Moguntinus, septuagesimum quintum ætatis, & vigesimum tertium administrationis Electoralis annum prætergressus, placidissime diem obiit. Princeps animo pacifico, prudentissimus, & bono publico natus. Defuncti corpus 29. eiusdem mensis nauigio atrato, & cereis ardentibus adornato impositum, amplissimo equitatu per Francofurtanam urbem transeunte, campanis interim per totam urbem resonantibus concomitante Moguntiam traductum, & sepulturæ traditum fuit.

*Res in Italia
gesta.*

Neruum belli pecuniam non frustra, communi dictum esse prouerbio, etiam Potentissimi Hispaniarum Regis exemplo edocemur, qui hoc tempore, ad bellum feliciter administrandum 400000. coronatorum per Vincentium Guardiafuogo in Italiam transmisit: & Ducem di Alcala Mediolani Gubernatorem constituit.

Triremes interim Pisertinæ nauigia nonnulla Salernum tendentes, intercepta in
pote-

potestatem redigunt, & in Barbariæ oras Anno
abducunt, iis obuiam missæ fuere triremes 1626:
octo Neapolitanæ, cum aliis octo Siculis,
& Melitensibus.

Pacis etiam constitutio hoc tempore
inter Grisones lente procedebat, dissen-
sientibus quoad propugnaculorum & mu-
nitionum demolitionem, inter se Mediola-
ni Governatore, & Marchione de Couure.

In Calabria vero Ducatu, ob nimiam
siccitatem, fontes omnes exsiccati sunt;
hinc magna ubique strages, & per vniuer-
sam pene Italiam aquarum penuria.

Pontificiis interim copiis, in Rhetiam
ablegandis, moram trahentibus, & indu-
ciarum tempore ad pacem constituendam
elapso, de illarum prorogatione inter Hi-
spaniæ & Franciæ Reges tractatio instituta
est, verum conflictu inter Sabaudos & Ge-
nuates in Pedemontana regione exorto,
pacis spes aliquantulum retardata.

In Belgicis Prouinciis res etiam Confe-
deratorum Ordinum retro sublapsæ refer-
ti: dum Vranæ Princeps, tempestate, &
vento aduersis impeditus, decimo quarto
demum Septemb. die, copias eduxisset:
Hispanis interim munitionibus & propu-
gnaculis diuersis, in primis vero vrbi Grol-
læ

Anno læ reparando, prudenter inuigilantibus:
1626. Bettaiensi nihilominus regioni, & Bra-
bandiæ conterminis contra Hispanorum
incurfiones & deprædationes abunde pro-
uifum.

Ex altera vero parte Hispanos Rheni &
Mofæ fluenta coniungere fuma vi adla-
borantes, fruftra impedire Bataui cona-
bantur, qui ob grauiffima damna confede-
ratis Prouinciis inde euentura, cõiunctio-
nem hanc ægerrime ferebant.

*Rheni &
Mofæ fluuio-
rum con-
iunctio.*

Hispani autem 21. Sept. in Geldriæ Du-
catu foffa quatuordecim pedum lata, &
profunda, excauata, opus aggressi, strenue
labori incumbabant. Et quidem Illuftris
Comes à Berg, omnium primus nomine
Potentiffimi Hispaniarum Regis, vt & Se-
reniff. Belgarum Principis Ifabellæ, & Mar-
chionis Spinolæ terna vice pala terram e-
geffit, cui ordine Comes Ifenburgicus, &
reliqui copiarum præfecti, cum gregariis
militibus fuccefferunt.

Ad hocce opus impediendum Vranix
Princeps, numerato militibus ftipendio,
& annona in dies decem procurata, deci-
mo nono Septemb. 75. tormentis vtriuſq;
generis, curribus & aliis neceffariis impedi-
mentis inftructus, aduerfo Rheno pro-
greffus,

gressus, duabus legionibus apud munitio- Anno
nem Schenckianam, custodiendo ponti 1626.
nauali & aliis nauigijs, Vesaliam appulit.

Duæ interim naues pretiosissimis mer-
cibus instructæ, vt & aliæ duæ ex India O-
rientali, quarum merces tres auri millio-
nes excedebant, appulere.

Verum nec hic successus omni ex parte
felix. Duæ enim naues Duynkerckanæ
naues piscatorias Batauas aggressi, nonnul-
las earum incendio deleuere, sæua etiam
tyrannide in nautas vsi:

Tandem vero à nonnullis triremibus
Batauis acriter oppugnati, naue vna cum
omnibus qui in ea erant, submersa, altera
fuga sibi consulere coacta est, quamuis tor-
mentis vndique adeo perforata, vt salutis
nulla fere spes superesset.

Haud parui etiam momenti dissidia in- *Res inter*
ter Angliæ & Franciæ Reges affinitatis glu- *Anglia &*
tine coniunctissimos hoc tempore incide- *Francia Re-*
re. Cum enim Reginæ Anglicæ ministri *ges gesta.*
Pontificiæ Religioni addicti nouas res in-
dies moliri & quotidianis fere Confessio-
nibus Reginam prægrauare dicerentur,
Rex maritus ministros omnes Gallos Pon-
tificios dimissos, regno excedere iubet, &
per Domin. Carletonum Gallia Regem

Anno de omnibus hisce certiolem reddit, qui
1626, hæc omnia ægerrime ferens per Marschal-
lum Bassampierum, ob hoc ipsum in An-
gliam missum, ministrorum & Clerico-
rum restitutionem summopere vrget.

Conspirationis etiam interea, superiori
æstate contra Gallia Regem in itæ semina,
nondum plane sopita fuere, ob eamque
nonnulli magni nominis viri è Regia Aula
discessere, & viginti alii, conspirationis il-
lius participes custodia traditi.

*Oppida nõ-
nulla à Co-
mite Tillio
occupata.*

In Saxonia Inferiore, Generosus Comes
Tillius, insigni parta de Dania Rege victo-
ria, vestigiis eius insistens, Neostadium
munitissimum oppidum, 19. huius men-
sis, vt & Steinbruken, deditioe in pote-
statem redigit, præsidariis saluis Guel-
phorum arcem vsque deductis. Dania ve-
ro Rex, præsidiiis hinc inde impositis, trans
Albim castra metatur. Hanouera interim
vrbs Comiti Tillio dedita, qui transitu o-
mni Bremam versus, & arcibus Hoya, &
Langenvvedela, cum ipsa vrbe Verda, oc-
cupatis, Rotenburgum obsidione cinxit.

*Holfati Ducis
copiam à
Rusticis ca-
sa.*

Vidimus hæctenus Martis effectus in di-
uersis Christiani orbis prouinciis: in Au-
stria interim superiore haud minor à belli-
co tumultu quies. Cum enim Ducis Hol-
fati

fati

lati copiæ nauibus aliquot Neokircham Anno appulissent, Rustici Austriaci, 19. Septem. 1626. munitionem prope Liechteneck excitatam, fraudulenter deseruere, & signo campana dato reliquos socios conuocantes, ante lucano tempore, Holsatos tanta vi, & impetu aggrediuntur, vt ne quicquã equitatu fortiter resistente, non pauci ex iis occumberent, reliqui fuga dilaberentur.

Verum paulo post Bauaricæ copiæ sub Excubiarum summo Præfecto, D. Lindlo, & Præfecto Hubnero, miliarià Castris Rusticis congregatæ, rusticos adoriuntur, & nonnullis ex iis cæsis reliquos in fugam vertunt, montemque vna cum arce in potestatem redigunt.

Postridie vero copiis Cæsareis congregatis, Rustici è syluæ latebris egressi, fugam simulant, & tormentorum ictus præcauentes, Holsatos in insidiarum locum juxta montem pertrahunt, vbi tanta vi disperfos adoriuntur, vt in fugam omnes coniicerent, & non paucis ex iis occisis, præda etiam magna abacta, dissiparent.

Hinc 26. Sept. oppidum Caurzin in Bohemiæ conterminis, positum, adorti, in potestatem redigunt, & Curiam cum aliis nonnullis domibus deprædantur, super-

Anno uenientibus verò Praga tormentariis, pe-
1626. dem retulere, Costolitzum, ditionis Liech-
tensteiniana oppidum in potestatem redi-
gere frustra tentantes.

Quæ quidem omnia præter multorum
opinionem hoc modo tentata, & gesta, o-
mnem pacis & reconciliationis spem, quæ
hoc tempore maxima affulgebat, sustule-
runt: sicque periculosissimi hi motus in-
dies crescere, & varias apud plerosque opi-
niones excitare cœpit, nonnullis certo
persuasis, Rusticos æquissimo iure, ob illa-
tas iniurias, & Religionis Exercitii liberta-
tem ablatam, arma contra Cæs. Majest. do-
minum suum legitimum cepisse, nonnul-
lis vero contrarium magis arridere visum,
qui absque vlla legitima, & rationabili cau-
sa ad arma eos prouolasse censebant: quo-
rum fundamenta & causas, prout illæ no-
bis transmissæ sunt, huc apponere placuit.

*Relatio Hi-
storica Re-
ligionis
Exercitii
sublati, &
demonstra-
tio Rusticis
nullam le-
gitimam
causam suis
se, ob quam*

Et quidem amice lector, quotidiana ex-
perientia testatur, monstrantq; quotidia-
ni effectus, velitationes, deprædationes, ra-
pinæ, incendia, & cædes, quantum pericu-
losissimi motus & tumultus in superiori
Austria, excitati, & è parua scintilla, contra
omniū opinionem subito in tantam flam-
mam excreuerint, vt haud facile componi,
stustol:

stustollive posse videantur. Cum igitur, Anno
 crebrescentibus bellis, subinde etiam novi 1626.
 rumores & nuntii exoriantur, & in omni-^{seditionem}
 bus fere conuentibus hominum de iis ser-^{contra Prin-}
 mones habeantur, nonnullis eam in sen-^{cipem suum}
 tentiam euntibus, plerosque incolas huius^{legitimum}
 Ducatus in hanc fere semper partem ni-^{excitarent.}
 mium propensos, intra triginta annos, vel
 quarta vice seditionem excitasse: Aliis vero
 seditionem hanc excusare conantib⁹, eum-
 que in finem nonnulla prætenfa grauami-
 na, quibus permoti seditionem iuste exci-
 tarint, proponentibus.

Quamuis vero eiusmodi discursus quo-
 tidie fere pro variis hominum affectioni-
 bus, institui soleant, tantique ponderis non
 sint, vt prudentem permouere debeant,
 nihilominus tamen apud plerosque etiam
 magni nominis, tam Ecclesiastici, quam
 secularis ordinis viros, vtrique Religioni
 addictos, opinio inualuit, motus hosce o-
 mnes, si non totaliter, magnam tamen par-
 tem ex sublata Religionis libertate, & Re-
 formationis subsequuta, exordia cepisse.
 Cum vero pro variis hominum affectioni-
 bus discursus illi & iudicia præcocia non
 solum in Dominorum Delegatorum, sed
 etiam in ipsius S. Cæs. Majest. præiudiciū,

B s ten-

Anno tendant ad talia erronea præjudicia coer-
 1626. cenda, ipsamque rei veritatem diligentius
 inuestigandam, & supremo Orbis Chri-
 stiani capiti debitam defendendam obe-
 dientiam, totius institutæ Reformationis
 initium, ordo, & progressus, omnibus a-
 pertius exponendus est, & considerandum
 ane ob institutâ illâ Religionis Reforma-
 tionem Rusticis jure tumultus hosce & se-
 ditionem excitare licitū fuerit, quæ omnia
 Relatione & Deductione hac exposita à
 Catholicæ Romanæ Religionis addicto
 conscripta comprehensa in gratiam lecto-
 ris, absque ullius tamen præiudicio appo-
 nere placuit, prout superiori libro Rusti-
 corum etiam Ordinationes, velitationes &
 conflictus cum Cæsareo exercitu, descrip-
 simus.

Et quidem totum hocce negotium duo-
 bus potissimū niti videtur membris: quo-
 rum primum ipsius Reformationis institu-
 tæ negotium, an legitime illud institutum,
 & peractum fuerit: spectat, alterum mo-
 dum illius, & ordinem, quo peractum fuit,
 concernit: quibus legitime deductis, faci-
 le cuius perspicuum fiet, rusticis ob insti-
 tutam illam Religionis Reformationem
 tumultus adeo pestiferos, & rebellionem
 excitare, minime licuisse.

Pri-

Primum igitur membrum, institutæ re- Anno
 lationis nostræ, quod attinet, haud iniuria 1626.
 mirari subiit, homines perfrictæ a deo fron-
 tis, & impudentiæ reperiri, qui ea, quæ à
 Sacr. Cæs. Majest. legitimo Principe & Du-
 ce Austriacæ prouinciæ, supra Anisum, in
 qua periculolissimi hi motus excitati sunt,
 deliberato & maturo consilio habito, &
 scientia certa cõstituta, & decreta sunt, im-
 portunis & intempestiuis sermocinationi-
 bus in dubium reuocare, improbare & in-
 iustitiæ nota aspergere præsumant, cum ta-
 men indubitati juris sit, sacrilegii instar ef-
 se, improbare, vel etiam disputando con-
 tronertere id, quod Imperator ex certa
 scientia mandauit, vt est text. elegans in l.
disputare 3. c. de crim. sacril. & ibid. Dd.

Verum vt & hisce satisfiat, sciendum, S.
 Cæs. Majest. Dominum nostrum Clemen-
 tissimum, sæpedictam Religionis Refor-
 mationem, in Ducatu, & Prouincia sua hæ-
 reditaria Austriaca, supra Anisum, non so-
 lum jure, & absq; præiudicio, vel præten-
 sione vllius mortalium instituere potuisse, sed
 etiam ad eandem tali modo instituendam,
 maximis, vrgentissimisque causis, esse per-
 motam.

Nec vero hoc loco commemorandum,
 qua

Anno qua ratione Confessione Augustanæ addi-
 1626. cti, magno cum præjudicio & detrimento
 Romano Catholicæ Religionis, primum
 has in Prouincias penetrarint, & in ea ha-
 tenus ex summa clementia Principum
 vixerint: Nec illud discutiendum, quo pa-
 cto triginta fere ab hinc annis, ab laudatiffimæ
 memoriæ Imperatore, Diuo Rudol-
 pho huiusmodi etiam Religionis Refor-
 matio instituta fuerit, quamuis ab ea post-
 modum, multiplici fraude ab ea desistere
 coactus. Silentio etiam inuoluendum, Sta-
 tus Austriacæ Prouinciæ superioris, anno
 huius seculi octauo, non solum quadragin-
 ta fere suæ Confessionis Concionatores in
 Prouinciam euocatos, variis in locis pro-
 pria authoritate Ecclesiastico muneri, &
 Concionibus sacris præfecisse, sed etiam
 Principem suum legitimū, Bohemiæ tunc
 Regem, Diuum Matthiam Imperatorem
 Rom. sacratissimæ memoriæ, manu, & mi-
 nis grauissimis ad Religiosæ Pacis consti-
 tutionem ad egisse, prout ex ipsius Horne-
 rianæ Relationis tenore cuiq; manifestum.

Hiscæ igitur omnibus silentio obuolu-
 tis, sola nobis fundamentum sit, S. Impe-
 rii Constitutio de Pace Religionis, ex qua
 manifestissimum, vtriusque Religionis ad-
 dictis

dictis Principibus & Statibus Imperii jus Anno
 fasque esse, subditos suos ad Religionis 1626.
 quam profitentur, confessionem vel adige-
 re, vel reuertes jure emigrationis è terri-
 toriis suis dimittere posse, absque vlllo vl-
 lius præjudicio, impedimento ve.

Et quidem cum ipsi, Romanæ Religio-
 nis aduersarii hoc jure in prouinciis, & di-
 tionibus suis, pro libitu vsi fuerint, extra
 omnem dubitationis aleam, videtur, ipsam
 etiam S. Cæs. Majest. jure illo, cuius facul-
 tatem Prædecessores sui, laudatissimæ me-
 moriæ, aliis fecerunt, in ditionibus suis, &
 quidem hæreditariis, legitime vti posse.

Nec enim dicendum, S. Cæs. Majest. in
 hisce deterioris esse conditionis, minusque
 in prouinciis suis hæreditariis eo jure vti
 posse, quo diuersi Principes, & ex Nobili-
 tatis Ordine nonnulli in territoriis suis, pa-
 lam vsi fuere: Nec exempla desunt eorum,
 qui paucos, & nullius nominis Pagos sal-
 tem sub ditione tenebant, hoc jure vsos,
 subditos ad cultum religionis, quam ipsi
 profitebantur, adegisse. Ex quibus mani-
 festū, Catholico Romanæ Religioni nul-
 lum ferme, in territoriis aduersariorum lo-
 cum esse relictum.

Notanda vero in primis, Reuerend. Pa-
 tris,

Anno tris, Præpositi in Stayntz, in Carinthiæ Ducatu, verba, qui in Responsione sua ad Rungium, in principio capitis primi partis primæ, testatur: Religionem Lutheranam (vt vocant) in vrbibus, oppidis & villis Ducatum Styriæ, Carinthiæ & Carniolani (sub Principe Catholico) tantum sumpsisse incrementi, quod non solum oppidani magistratus Romano Catholicæ Religionis addictos, omni publico & Senatorio munere, & emptione immobilium bonorum prohibuerint, sed etiam Tribuum mechanicarum præfecti, editis inter se constitutionibus, ministros prædictæ Religionis asseclas, vltra duas septimanas, retinere contribulibus interdixerint: Nec etiam municipii iure villos donauerint, nisi juramento præstito, Augustanæ Confessionis nomen dederint. Extra vrbes vero & oppida in villis, subditos diuersis artibus & prætextibus Catholicos exercitio Religionis suæ prohiberi, dum tempore Concionum habendarum subditi sub aliis prætextibus, transactionum, aliorumq; similibus negotiorum contocentur, quo finitis iis concionibus in arcibus & domibus suis institutis interesse cogantur, reuertes vero, vel non comparentes non solum verbis a superioribus,

bus, sed etiam carceribus castigentur: An Anno
 non vero talia etiam in Austriaca Prouin- 1626:
 cia supra Anisium contigere? Hæc vero
 Præpositi verba eo libentius apponere hic
 placuit, quo ex statu vicinarum nobis Pro-
 uinciarum cuius appareat, quæ rerum fa-
 cies esse soleat, aduersariis clauum tenen-
 tibus: pateatque S. Cæs. Majest. Domi-
 num legitimum in suis Prouinciis hæredi-
 tariis jure illo legitime uti posse, quo jam
 dicto modo etiam ipsi subditi vsi fuerint.

Nequicquam vero obiiciat quis hoc
 loco concessa ab Archiducibus Priuilegia,
 immunitates & Religionis libertatem, nec
 enim hoc casu ea quicquam ponderis hæ-
 bere certum: cum non solum multis casti-
 bus, in primis vero Religionis exercitium
 concernentibus talia subditis cōcessa Pri-
 uilegia per successores commode tolli &
 auferri possint. vt notant communiter Dd.
in c. nouit de jud. & ibid. Felin: n. 9. cum seqq.
cit. apud Andr. Gail. pract. obseru. lib. 2. obs.
60. n. 17. Sed etiam omnia & singula sub-
 ditorum priuilegia per rebellionem amit-
 tantur, per ea, quæ adducit modo citat.
Gail. de pac publ. lib. 2. obs. 9. n. 27. cum seqq.
 vbi nominatim notat, ciuitatem, vel vni-
 uersitatem propter commissum rebellio-
 nis

Anno 1626. nis delictum aduersus Principem, non solum bonis & priuilegiis priuari, sed etiam banno subiici, imo funditus euer-
 ti, & solo, damnata eius memoria, æ-
 quari posse. Quamuis enim ob singula-
 rium quarundam personarum delictum,
 tota vniuersitas nec puniri, nec Priuilegiis
 suis spoliari possit, per text. *in c. accedenti-
 bus. de priu. gl. ibid. in v. renuntiasse.* Non ta-
 men sequitur, prout hoc tempore deduce-
 re quidam conantur, præsentem Rustico-
 rum Austriacorum rebellionem priuatum
 solum esse tumultum, & paucorum quo-
 rundam particularium personarum deli-
 ctum, cum notorium sit, præter Status Ro-
 manæ Catholicæ Religioni addictos, o-
 mnes ferme regionis illius incolas seditio-
 ni huic nomen dedisse, & consequenter
 pœnas tali crimini debitas incurrisse: Vul-
 gatæque sit authoritatis, quod vniuersitas,
 vel ciuitas, aut prouincia, sine vlla consilii
 deliberatione, vel multitudinis conuoca-
 tione delinquat, si sit delictum continua-
 tum, & actu permanens, vt rebellionis est
 crimen, modo concurrant collegæ, ciues
 aut prouinciales, & vel expressa, vel etiam
 tacita ratificatio populi seu vniuersitatis, si-
 ue regentium eam interueniat. citat Gail.

*in d. tr. de pac. publ. n. 5. & 31. Myns. sing. Anno
 obseru. cent. 4. obs. 78. & 79. adeo vt tacita 1626.
 ratificatio tum demum satis apparere dica-
 tur, si non obsistant malis, si non puniant,
 vel in exilium mittant delinquentes, tunc
 enim per talem taciturnitatem & conni-
 uentiam delicti participes redduntur, etsi
 illud nullo communicato consilio sit pa-
 tratum. Myns. d. obs. 79. fere in fin.*

Ex quibus omnibus manifestissimum,
 S. Cæs. Majest. Dominum nostrum Cle-
 mentissimum, sæpeditam Religionis Re-
 formationem in Ducatu suo hæreditario
 Austriaco supra Anisum, jure, legitime, &
 absque vllius alterius contradictione insti-
 tuere potuisse. Nec tamen causas, quibus
 ad hanc Reformationem permota illa sit,
 tanquam Regis secretum, peruestigare no-
 bis licere: quamuis nonnullæ earum ex S.
 Cæsar. Majest. & Dominorum Commis-
 sariorum publicatis Reformationis man-
 datis, ex primo maxime, in quo de dimit-
 tendis Concionatoribus agitur, cognosci
 possint. Neque dubium vllum, Sacr. Cæs.
 Majest. exploratum esse sese ad reddend-
 dam Deo rationem de diuino cultu, negle-
 cto, vel instaurato teneri, & ad reip. incō-
 lumitatem requiri Religionis & Dei cul-
 tus

Anno 1626. tus conformitatem, cuius vinculo subdi-
 ti fidei diuersitate sublata, ad prouidenciam
 obedientiam erga Dominum & superio-
 rem adigantur, & seditionum fomites fa-
 cilius extinguantur. Accedit hisce & aliud
 fundamentum S. Cæs. Majest. (prout iam-
 pridem omnibus notum,) in literis Pacifi-
 catoriis, siue Transactione cum Superioris
 Austriæ ordinibus, & Incolis, inita, Refor-
 mationis Religiosæ negotium sibi reserua-
 se, huicque reseruatiōni Ordines humili-
 ter acquiescisse: ex quibus omnibus Re-
 formationem hanc à S. Cæs. Majest. insti-
 tuti iure potuisse, omnibus manifestum.

Quod vero modum & progressum in-
 stitutæ illius Reformationis spectat, tali ea
 ordine, moderatione, & clementia peracta
 fuit, ut nulli, nedum Rusticis ob eam vlla
 tumultuandi causa legitima data fuerit.

Cum enim S. Cæs. Majest. habita matur-
 ra deliberatione de instituenda hac Reli-
 gionis reformatione cōsiliū cepisset, An-
 no huius seculi vicesimo, mense Octob.
 singulari de super Lintzii edito maadato, &
 postmodum diuersis locis repetito, omnes
 Concionatores, & Scholarum moderato-
 res, qui à Romana Catholica Ecclesia
 discessionem fecissent, Provincia excedere
 iussit.

Hoc

Hoc vero edictum Cæsareum insigni Anno
 adeo humanitate, moderatione, & bene- 1626.
 uolentia executioni datum, ut Conciona-
 toribus & ministris illis emigrandi termi-
 nus commodissimus assignaretur, & non
 obstantibus nonnullis exceptionibus in
 contrariū vrgentibus, suæ religionis exer-
 citium, & visitationes (sublatis tamen Cō-
 cionum officiis) libere, ipsis relinquere-
 tur, qua occasione locupletissimum illis
 viaticum comparatum. Naues etiam ipsis
 concessæ, & liberrime absque vlla vllius
 offensione, cum omnibus suis facultati-
 bus, dimissi: Cum tamen satis constet, in-
 humanissime Catholico Romanæ religioni
 addictos & Clericos ab ipsis habitos, bonis
 spoliatos, & nullo fere concesso termino,
 intra paucarum vel horarum, vel dierum
 spatium, ditionibus exactos, imo nonnun-
 quam morte crudelissime affectos fuisse,
 cuius rei Rustici Austriaci supra Anisum,
 plurima documenta abunde præbuerunt,
 de qua re alibi dicendi locus occurret.

Sequitur ipsius Reformationis institutæ
 progressus: Ad eam igitur summa qua fieri
 posset, humanitate, perficiendam, S. Cæs.
 Majest. quosdam virtute, prudentia & re-
 tum vsu præstantissimos viros, Illustrem

Anno nempe, & Generosissimum Comitem, D.
 1626. Adamum abHerberstorff, Gubernatorem
 Supremum Prouinciæ Austriacæ, Reue-
 rend. in Christo Patrem, D. Georgium,
 Monasterii Gottvveichiani Abbatem, &
 Magnificos ac Nobiles, D. Ioannem Ba-
 ptistam Spindlerum, ab & in Hoffegg, &
 D. Constantinum Grundemann, à Fal-
 ckenberg, Consiliarios suos, Commissa-
 rios & Executores constituit, quorū dexte-
 ritate & experientia iuxta Cæsarei manda-
 ti tenorem ad finem optatissimum perdu-
 ceretur.

Quamuis vero prædicti Domini Com-
 missarii facile viderent, quibus sese pericu-
 lis & calumniis exposituri forent, nihilo-
 minus ad laudem Dei Omnipotentis, &
 propagationem sanctæ fidei, reuerentiã &
 obedientiam erga S. C. M. contestandam,
 & proximi vtilitatem promouendam, vti-
 lissimo huic negotio manum admouere
 haud dubitarunt.

Et quidem quo minori cum difficultate
 illud explicari posset, S. Cæs. Majest. vo-
 luntatem, & decretum populo commo-
 dius explicare, & animos subditorū dispo-
 nere commodum visum fuit. Eum ergo in
 finem Reuer. D. Abbas Dominica 3. Ad-
 uent.

uent. concione Lintzii ad populum habita, Anno exactissimam disquisitionem instituit, & 1626. demonstravit, quis Romanorum Imperator, & respectiue Dominus ac Princeps huius Prouinciæ hæreditarius: qui nam subditi, quæq; vtrorumque officia, & munia essent: Esse nempe Imperatorem Romanum Custodem & Vigilem illum populi Christiani, qui ante tremendum Christi, Seruatoris nostri tribunal, in extremi iudicii die, de subditorum suorum animis rationem reddere, eamque ob causam in hoc maxime incumbere teneatur, vt animi eorum salubri & saluifica doctrina instituantur. Proindeque S. Cæs. Majest. Reformationem Religionis in Prouinciis suis hæreditariis jure instituere, & subditos suos ad Romano Catholicæ Ecclesiæ doctrinam amplectendam, adigere posse. Subditorum vero esse officii, omnem subjectionem, & obedientiam Principi suo legitimo, exhibere, non solum in negotiis mere Politicam Reipub. administrationem concernentibus, sed etiam in omnibus aliis casibus, & mandatis, quæ Dei omnipotentis honorem, & subditorum ipsorum salutem, virtutumq; Christianarum incrementum concernunt. Cum igitur Sacr. Cæs. Majest.

C 3 Domi-

Anno Domini & Principis Austriacæ Prouinciæ
 1626. hereditarii, mandata nihil contra Dei Opt.
 Max. honorem, æquitatem ve contineant,
 sed ea tantum complectantur quæ ab Apo-
 stolica doctrina seculis fere totis sedecim,
 tradita sunt, & in qua prisca huius Prouin-
 ciæ incolæ, pie vixerunt, & fato functi, pro-
 ut ex monasteriis, beneficiis, templis & sa-
 cellis eorum opera fundatis apparet, omni-
 no mandato huic obedientiam subditos
 præstare omnino teneri: Posseq; cum præ-
 stantissimo Ecclesiæ Doctore Hugone de
 S. Victore Christo Domino tuto dicere,
 Domine, si decepti sumus, tu nos decepi-
 sti. Tu enim nobis, Ecclesiam audire, &
 magistratui, nobis præposito, obedientiam
 præstare mandasti. Hoc vero re ipsa præ-
 stitimus. Admonitioni etiam S. Ioannis
 Baptistæ morem ipsos gerere debere, qui
 hodierno in Euangelio exclamet, Dirigite
 viam Domini, & animos ad recipienda
 summa illa Dei beneficia & redemptionē
 animarum suarum præparare, quæ non ni-
 si in Ecclesia Dei, & fide Catholica ipsis
 obuenire possent. Hæc vero omnia & sin-
 gula præfatus D. Abbas S. Scripturæ dictis
 adeo illustravit, vt concio illa maximum
 in auditorum animis fructum attulisse vi-
 deretur.

Præter

Præter hæc Illustr. etiam Dominus Pro- Anno
uinciae Gubernator, omnes ciues congre- 1626.
gatos, grauiſſimis adductis cauſis, vt Cæſar.
mandato obedientiam præſtarent, cōciō-
nes fideliter exciperent, & admonitionib⁹
Pastorum locum darent, eſt adhortatus,
addita promiſſione, nolle S. Cæſ. Maieſt.
vi ad amplectendam Romanæ Catholicæ
Eccleſiæ doctrinam eos adigere, ſed vt ſum-
ma potius humanitate & manſuetudine de
omnibus Chriſtianæ Religionis articulis
controuerſis edocantur, conſtituiſſe.

Hiſce peractis, Illuſtr. Reu. & Magnifi-
ci D. Commiſſarii Cæſarei reformationem
in ſeptem præcipuis Prouinciæ Auſtriacæ
urbibus inſtituere, & publica politici ordi-
nis officia Romanæ Catholicæ addictis de-
mandare aggreſſi, ab urbium præfectis, eo-
rum, quibus illa munia tuto credi poſſent,
nomina ſibi edi curauere, hinc Januario
mense anni ſuperioris Styriam, Melſam,
Vecklaburgg, & Gemundam petiere, &
vbique fere locorum, imprimiſque Styriæ
in die Conuerſionis S. Pauli concione ha-
bita præfatus D. Abbas ciues ad S. Cæſar.
Maieſt. mandatorum obſeruantiam ad-
hortatus eſt, Illuſtr. vero D. Comes Gu-
bernator Prouinciæ conuocatis in Curiam

Anno ciuibus S. Cæsar, Majest. clementissimam
 1626. voluntatem & mandatum, humanissime
 exposuit, Nihil scilicet S. Cæs. Majest. Do-
 minum suum Clementissimum, & Prouin-
 ciæ Principem hereditarium, hæctenus in
 votis magis habuisse, quam vt Prouincia
 hæc Austriaca altissima pace frui, & concor-
 dia inter ciues & incolas refarciri, & con-
 seruari, inque pristinum statum Reip. tran-
 quillitas restitui possit. Ad hanc vero con-
 cordiam reducendam, nihil conducibili-
 us fore, quam vt sublata religionum dis-
 sonantia, subditi omnes ad vniformem re-
 ligionis & doctrinæ Christianæ consonan-
 tiam, Sacramentorumque & disciplinæ v-
 nionem reducantur. Constituissè proinde
 S. Cæs. Majest. Prouinciam hanc suam hæ-
 reditariam Archiducatum Austriacum ad
 Romano Catholicæ & Apostolicæ Eccle-
 siæ vnionem, quam & ipsa pie amplecta-
 tur, & in eius communionem vitam traduce-
 re cupiat, reducere.

Præter hanc vero S. Cæs. Majest. volun-
 tatem, etiam suum ipsius exemplum, qui
 & ipse antehac pari doctrinæ errore irreti-
 tus, sola Dei benignitate ad veram Catho-
 licæ fidei vnionem sit perductus: eos sibi
 proponere & conciones institutas frequen-

tes

res audire, debere, nec enim inuitos ad Ca- Anno
tholicæ Religionis professionē adigendos. 1626.

Absolutis hisce, Illustr. D. Gubernator magistratus & reliquos in officiis publicis constitutos, qui Catholicæ Romanæ Ecclesiæ doctrinam adhuc aduersabantur, sacramento soluit, aliis eidem doctrinæ addictis, in eorum locum substituitis.

Nec tamen priores magistratus & præpositi omnibus omnino honoribus spoliati fuere: sed non pauci eorum, in primis vero Consules, Iudices, & Senatores, summa humanitatis & moderationis laude ob maiorem rerum & consuetudinum cuiusque loci experientiam suis locis restituti sunt.

Peractis hisce, Lintzii etiam Prouinciæ Metropoli, mense Februario, & Anisi, habitis à D. Abbate concionibus, officia politica immutata, & in priorum locum Romanæ Religionis addicti, substituti sunt, Freystadio vero tum temporis ob pestis contagionem suo juri in politicis relicto, parochus Catholicus sacris præpositus, & temporalibus etiam saluberrimis constitutionibus prouisum.

Interea etiam in villis & pagis negotium grauiter urgere commissarii, & partim ipsi, partim per subdelegatos suos, auxilio Ec-

Anno clesiasticæ Curia, templa piis vsibus resera-
 1626. re, & parochos Romanæ Catholicæ Reli-
 gioni addictos vbiuis constituere cæpere:
 reseruata tamen Statuum jurisdictione,
 quam S. Cæs. Majest. in Pacificatoriis ex-
 presse sibi reseruarat: quæ omnia summa
 mansuetudine & humanitate peracta sunt,
 & subditis significatum, non eum in finem
 eam parochorum institutionem factam es-
 se, vt ad Catholicam religionem ample-
 ctendam vi adigerentur, sed tantum vt or-
 dinarius parochus constitueretur, qui sacro
 sanctam Euangelii doctrinam ipsis propo-
 neret, & Sacramenta, aliaque ad diuinum
 cultum spectantia administraret.

Quamuis vero hæc omnia summa hu-
 manitate, clementia & mansuetudine fue-
 rint peracta, Rusticorum tamen furor &
 pertinacia minime compesci potuit. Cum
 enim sub finem mensis Januarii anni 1625.
 parochus in Nadernbach constituendus
 esset, Rustici impetu vehementissime fa-
 cto lapidibus Parochum petiere, & cœme-
 terium occupantes, templum occlusere,
 custodibus appositis, diuersorium etiam
 fustib' armati, circumstantes, campanæ so-
 nitu vicinos sese cõuocaturos minati sunt,
 ita vt D. Commissariis nihil præter seditio-
 nem,

nem, & extrema vitæ pericula imminere Anno
videretur. Excitatae vero huius seditionis 1626.
antesignanos Illustr. D. Gubernator capti-
uos Lintzium abductos, præter omnium
spem, liberos dimisit, in hoc vnice incum-
bens, vt clementia & mansuetudine ad
Romanæ Religionis professionem subdi-
tos adduceret; Verum hæc mansuetudo,
nonnullis in locis frustra fuit: & seditio
exorta, animaduersionem grauiorem ex-
torfit.

Cum enim D. Commissarii re ipsa ex-
perirentur, subditos mansuetudine illa &
clementia multo magis insurgere, & inco-
las conciones in villis passim non solum fre-
quentare, sed etiam in priuatis ædibus, & ar-
cibus Euangeliorum expositiones ab an-
cillis, & ministris prælegi, Romano Catho-
licas vero conciones fere omnes negligi,
nonnullos etiam metu aliorum nomen da-
re renuere, alia via sibi agendum rati, Man-
datū Reformationis Generale 12. Octob,
anno 1625. Lintzii, & passim vbius loco-
rum publicari, & templi foribus affigi cu-
rauerunt.

Nec officio suo prædictus Reuerend. D.
Abbas defuit, qui publica concione habita S.
Maximilianum, Anisi vrbis Episcopum, &
primum

Anno primum huius Prouinciæ Apostolum in 1626. exemplum auditoribus proposuit, & demonstrauit Romanam Catholicam Ecclesiam eandem illam fidem etiamnum saluberrime de prædicare & amplecti, quam ipse Maximilianus, ante 14. secula in Prouinciis Austriacis annuntiauerit: hæc uero omnia tanta facundia ab ipso D. Abbate proposita fuere, ut finita concione duo ex primariis eius loci Incolis ab D. Abbate, uerberiorem declarationem & demonstrationem propositionis illius, eandem nempe fidem, quam nunc Romana profiteatur Ecclesia, etiam ab ipso S. Maximiliano de prædicatam fuisse, postulauerint, quod & liberaliter & humanissime à D. Abbate præstitum.

Mandatum uero illud generale Reformationis, quod spectat, duodecim illud sequentibus articulis potissimum innititur. I. Ut nimirum quæ de dimittendis Ecclesiarum Pastoribus & Scholarum moderatoribus, in priori mandato sint constituta, rata sint, & executioni mandentur. II. Conciones, cantiones, conuentus & similia religionis aduersæ exercitia tollantur, nec plebi ad externas conciones in uillas excurrere, Sacramentisque in illis com-

mu-

municare permittatur, sed ad Catholico Anno
Romanorum conciones audiendas adi- 1626.
gantur. III Idque in primis diebus Domi-
nicis, & Festis. IV. Jeuniorum etiam &
Quadragesimæ dies obseruentur, inque his
urbani magistratus plebi exemplo præful-
geant. V. Tribus etiam & opificum colle-
gia in urbibus processiones sub signo Cru-
cis, restituant. VI. Intempestiuæ coitiones,
& computationes inter concionandū die-
bus Dominicis, festis, & nundinis tollan-
tur. VII. Urbani magistratus, & incolæ li-
beros suos è locis, Romanæ Catholicæ re-
ligioni non addictis domum reuocent, &
in regiones Catholicis addictas transmit-
tant: intraque semestre eius rei documen-
tum magistratui exhibeant. VIII. Status
etiam qui Catholicæ religioni nomen ad-
huc non dedere, absque concessione S.
Cæs. Majest. liberos suos in regiones mi-
nus Romanæ Sedi obedientes non able-
gent, & eorum qui in exteris commoran-
tur regionibus, nomina, adiuncto urbium
in quibus degant, catalogo intra sex heb-
domadarum spatium transmittant. XI. Ii
qui ad Romanæ Catholicæ Ecclesiæ castra
transire recusauerint, juxta tenorem S. Im-
perii & Pacis Religiosæ Constitutionis, in-
tra

Anno tra præfixum terminum, perfoluta decima
 1626. è Prouincia emigrandi facultas conceda-
 tur. X. Incolæ vero, quorum progenito-
 res vltra quinquaginta annos Prouinciam
 inhabitauerunt, ad amplectendam Ecclesiæ
 Romanæ doctrinam non adigantur, sed
 ratione liberorum, & liberi exercitii dispo-
 sitioni octauæ articuli subiiciantur, intraq;
 semestre ministros Romanæ Catholicæ Re-
 ligioni addictos adsciscere teneantur. XI.
 Quod etiam in Prouinciæ publicis mini-
 stris & præpositis, qui sæpedictam Catho-
 licam religionem respuunt, obseruetur.
 XII. Libri vero omnes à diuersæ sectæ au-
 thoribus conscripti D. Commissariis tra-
 dantur, & Bibliopolis eiusmodi in Prouin-
 ciam inuehere minime permittatur. Tres
 etiam Politici Status, vigore prioris Cæsar.
 edicti, præfecturæ Ecclesiasticæ, & feudo-
 rum intra terminum sex hebdomadarum
 documenta, vt & ii qui ecclesiastica bona
 possident, eorumque redditibus gaudent,
 titulum possessionis suæ intra prædictum
 terminum edocere teneantur, prout latius
 in præfato Decreto continetur. Verum his
 non attentis, nouo edicto Lintzii 23. Mart.
 1626. proposito termini octauo, decimo,
 & duodecimo articulo denotati, ad pro-
 ximum

ximum Paschatos festum prorogati fuere. Anno
 Cum igitur supra positi hi Articuli & 1626.
 conditiones pietati, & Christianæ man-
 suetudini admodum conformes sint, S. et-
 iam Cæs. Majest. subditis suis hereditariis,
 præeunte maxime eorum submissione &
 reservatione quoad Religionis negotium
 facta, legem ponere jure possit, videre non
 possum, Dominos Commissarios circa eos-
 dem quicquam commisisse. Totum enim
 hocce negotium executioni Cæsareæ Re-
 formationis innititur: Cuius vi libri pro-
 hibiti, juxta tenorem artic. 12. ablati, & in
 curiis cuiusque loci repositi sunt: subditi
 etiam ad audiendas conciones Catholicas
 adacti, ubiuis fere locorum nova suggesta
 ædificata, concionum numerus auctus, &
 clericis, vt subditis inculpatæ vitæ exem-
 plum præstarent, mandatum. Institutæ et-
 iam, certis temporibus in primis dieb⁹ Do-
 minicis & Festis conciones & Catecheticae
 Informationes, quibus non juventus so-
 lum, sed & adultiores in pietate institue-
 rentur.

Patres etiam Societatis Jesu, & Capuc-
 cini, aliique Religiosi erga subditos in si-
 gni humanitate & mansuetudine vsi, do-
 ctrinæ controuersias ipsis placide exposue-
 re,

Anno re inter quos facile primas obtinuit præ-
 1626. fatus D. Abbas Gottvichianus: qui post-
 habita valetudine, labore, & sumptu, sum-
 ma cum mansuetudine, concionando, col-
 loquendo, instruendo, omnia boni pasto-
 ris officia adimpleuit: & duos magni nomi-
 nis & doctrinæ Theologiæ Doctores, è suo
 monasterio ascitos, diuersis in locis con-
 cionandi numerè fungi voluit.

Quamvis vero hæc omnia magna hu-
 manitate, D. Commissarii peragerent, &
 in id vnice inctimbèrent, vt Reformatio-
 nis mandatum Cæsareum executioni man-
 daretur, intermittere tamen, ratione de-
 mandati officii non potuere, quin in refra-
 ctarios, conciones interdictas visitantes, &
 Sacramentis contra Cæsaream cōstitutio-
 nem participantes, mediis competentibus
 animaduertent.

Nec tamen in animaduersionibus illis
 modum excessere, & si quid grauius statu-
 tum, erga antesignanos seditionum, reli-
 quis exemplo vt essent, patratum.

Cum vero elapso Paschatos termino, &
 ablegatis ante selquianum concionatori-
 bus, plerique in pertinacia sua perstitissent,
 nonnulli vero metu exheredationum à
 parentibus, propinquisve impendentium,
 vel

vel pœnæ à magistratu infligendæ, aliisque Anno
 de causis, nomen Catholicæ religioni dare 1626:
 recusarent, alia viâ D. Commissarii aggredien-
 diendam rem rati, in primis verò præfatus
 D. Abbas vniuersum Ducatum peragran-
 do, concionando, adhortando subditos
 congregatos ad fidem Romano Catholi-
 cam amplectendam summopere est cona-
 tos. Singulos post hæc interrogauit, num
 S. Cæsar. Majest. edicto morem gerere, &
 Religioni Catholicæ adiungerè sese, num
 vero in sua opinione persistere vellent, &
 assentientes pleniori instructione instituē-
 dos Clericis tradi curauit, reuentibus dis-
 cessum è Prouincia, juxta mandati Cæsarei
 tenorem imperauit.

Illis vero qui insufficientem instructio-
 nem causati, vltiorem terminorum dila-
 tionem petiere, etiam illa longissime pro-
 lata, prout ex actis manifestum, & vrbis
 Anisi incolis integrū semestre, vltra imper-
 titū terminum, eum in finem concessum, vt
 vtrum conciones audire, & instructioni se-
 se submittere vellent, declararent.

Ex hisce autem tantum commodi subse-
 cutum, vt exceptis paucis quibusdam, qui è
 Prouincia emigrare maluerunt, omnes
 propemodum ciues, Romanam Catholi-
 cam

D

cam

Anno 1626, cum religionem vel amplexi sint, vel ad pleniorē instructionem terminorū prorogationem petierint. At Griesskerkætum, urgentibus de causis nihil tale tentatum: quamvis Reu. D. Abbas eo ipso tempore, quo rebellionis hic tumultus est exortus, ex consensu Illustr. D. Gubernatoris, & loci Domini protectionem eo instituerat, bona spe fretus, triticum Catholicæ doctrinæ in agro Archiducatus Austriaci supra Anisum multiplicem fructum prolatum fuisse, nisi infidi agricolæ, vel potius alii Pacis ofores, rebellionis zizaniis disseminatis, fructus opimos abstulissent.

Neque sic tamen calumniæ plane evitari potuere, qua D. Commissarii vim conscientias subditorum attulisse, & sub pietatis velamine vindictæ litasse falso dicuntur. Verum, attentius rem ipsam, & progressum institutæ reformationis considerantes, facile illarum vanitatem deprehendemus.

Et quidem, quæ de exactiōibus decimarum pro dimissione persolueda, quæ ad viginti, triginta & ultra pro centenario summam ascendisse nonnumquā dicuntur, ne quidem Reformationis negotium principaliter spectant, utpote quæ
Prin-

Principis ipsius fisco solvantur, & à D. Anno
Commissariis nequicquam exacta fuerint, 1626;
ii etiam quorum id muneris fuit, data oc-
casione defensionem illius instituere com-
mode poterunt. Nec tamen ultra deci-
mam à nemine quicquam exactum esse,
certum. Cum vero ob excitatam paucis ab
his annis, seditionem Bohemicam, oppi-
da & villæ insignem æris alieni magnitudi-
nem contraxissent, partim etiam ob eam
indictas à Cæs. Majest. pœnas incurrissent,
haud iniuria oppidis illis, & pagis, vt & emi-
grantibus Incolis huius Ducatus, (sub quo-
rum præfectura pœna commissa, & nomi-
na contracta fuere,) maior, & decimam
transcendens pecuniæ summa exacta, pro
indeq; illa nō ratione decimæ ex bonis eo-
rū, qui iure emigrationis alio sese conferre
satagunt, soluendæ, sed proportionabiliter
nomine pœnæ illius cōmissæ, nequaquam
vero Reformationis institutæ vi imposita,
prout etiam ab illis qui extra prouinciam
lares suos alio transtulere, præter consue-
tam decimæ partis bonorum, nihil impo-
situm vnquam fuisse, acta municipalia, &
ipsi subditi, qui hoc beneficio emigrandi
vsi fuere, abunde testantur.

Quæ vero de militum iniuriis, quibus
D 2 hospiti-

Anno 1626. hospites suos Romanæ Religionis aduersarios in pagis & oppidis affecisse, & vi ad Religionis professionem adigere voluisse dicantur, pari ratione etiam Reformationis negotio imputari non potest, cum nec ex Cæs. Majest. nec Dominorum Commissariorum mandato quicquam tentatū: & ex illa forsitan causa factum, quod, aucto Catholicorum Incolarum numero, iniquum visum fuerit, incolas, quibus eius rei gratia, à Cæs. Majest. & Seren. Bauariæ Duce, iam dudum facta, onere illo hospitandi militis, prægrauare. In primis vero cum milites illi ad refrenandam Ecclesiæ Romanæ aduersantium insolentiam, quæ præfixum Paschatos terminum, negligenter labi, & Cæs. Majest. edictum eludere conati sunt, conscripti essent. Eadem etiam de causa militum numerus auctus, & pro paucitate eorum, qui ad Catholicorum castra transire vel renuerent, vel tergiuersione vsi, Cæsareum edictum eludere conarentur, plures singulis assignati milites: Nec diffitendum, eos etiam more militari interdum insolentia maiore vsos, & iniuriis incolas affecisse, in scio supremo Duce, qui talium facinorum seuerissimus semper vindex extitit, & refractarios

rios Lintzium vel captiuos abduci, velet- Anno
iam morte affici, mandauit. Neq; etiam in- 1626.
iurias illas satis præcaueri nec ipsi Refor-
mationis negotio adscribi posse, quen-
quam latet. Quin & ipse Prouinciæ Gu-
bernator iam pridem commiseratione er-
ga incolas permotus mandato Sacr. Cæs.
Majest. & Sereniss. Bauariæ Ducis, mi-
litis è Prouincia abducendi negotium su-
sciperat: eumque in finem eos versus
confinia Freystadium, & Aschauiam re-
duxerat.

Quod vero tertio loco obiicitur, refor-
mationem hanc intempestiue non solum,
sed & magna seueritate institutam, seditio-
ni huic occasionem præbuisse: veritati re-
pugnat. Nec enim ab D. Commissariis,
præter admonitiones humanissime & sum-
ma moderatione institutas, erga incolas
quicquam tentatum, sed potius de ne-
gotio hoc reformationis vltior delibera-
tio habenda, in proximum pentecostes fe-
stum dilata: & quamplurimis rusticis qui
è Prouincia discedere, & decimas Fisco
soluere cupiebant, à Ser. Bauariæ Ducis Cõ-
siliariis, domum vt redirent, mandatum.

Sæpedictus vero D. Abbas paucis ante
seditionem exortam diebus, rogatu magi-

Anno stratus Aschauiam, & Styrecciam concessit, 1626. & vtriusque oppidi incolis concione habitata, institutæ reformationis negotium summa moderatione explicauit: qua finita vniuersi ciues, exceptis solum quindecim, & Styrecciæ 270. Catholicæ Romanæ Religionis nomen dedere. Nec aliud hisce locis præter concionum frequentationem mandatum.

Ex quibus etiam quartæ calumniæ vanitas elucescit, dum præfatum D. Abbatem concione Aschauiæ habitata importune rusticos compellasse, & vi ad amplectendam Religionem Catholicam adigendos, interminatus esse dicitur, eamque ob causam etiam Fädingerum, Rusticis postmodum Ducem se præbuisse: cum tamen honestissimi viri, qui concioni interfuere, talium verborum minime recordentur, ipseque oppidi Præfectus Fädingerum subsequenti tandem die Veneris eo appulisse, attestetur.

Succedit altera in D. Abbatem calumnia, tyrannice nimirum, & contra ecclesiasticæ personæ decorum in hoc negotio versarum eum, & in concionibus summa immodestia, ac minis usum fuisse. Verum contrarium omnino alii, qui concionibus eius inter-

interfuere, attestantur, quin summa potius a deo modestia, humanitate, & propter auditorum salutem propriam obtestatione usum, ut nonnulli talibus minime opus fuisse protestati fuerint, siquidem doctrina Romano Catholica Dei verbo conformis foret.

Præter hanc modestam & piam obtestationem etiam præfatus D. Abbas artificio Oratorio usus, populi beneuolentiam captare, & animos ad maiorem attentionem disponere summe conatus est: prout ex ipsis illis concionibus, propediem, ut spero, omnium commodis evulgandis, cuius manifestum fiet.

Cum igitur calumniæ tales ab ipsis Religionis hostibus initium cepisse, extra omnem sit dubitationem, merito omnes boni illas aspernatos confidimus: maxime cum & iis, qui cum ipso Abbate familiarius cõsueuere, summa morum mansuetudo, humanitas & modestia eius optime cognita sit, certumque summopere omnia præcauisse, & euitasse, quibus scandalo & offensionis esse posset.

Quod si vero posito casu, non tamen concesso, præfatus D. Abbas asperioribus verbis non nihil erga refractarios usus fuisset,

Anno ser, exemplo hos Apostoli fecisse dici pos-
 1626. ser, qui in epistola ad Timoth. c. 3. Oppor-
 tune, importuneque instare debere, & in-
 crepare in omni patientia, & doctrina, ver-
 bi Doctoribus præcepit. Quin & ipsius Sal-
 uatoris, qui auditores suos genimina vipe-
 rarum, stultos, tardos ordo, & cæcos nomi-
 nauit. Vt & S. Stephani protomartyris, qui
 Judæos incircumcisos corde, & auribus,
 proditores, & homicidas appellare veritus
 non est.

Præter hæc etiam manifestum, Rusticos
 quosdam Zvvy spaltenensis territorii minime
 ob Religionis diuersitatem, cuius refor-
 matio tum temporis nondum instituta fue-
 rat, vel absque vlla legitima causa, suppli-
 cio fuisse affectos, sed postquam iam dum
 millibus aliquot congregatis, rebellionem
 apertam molientes, arcem Franckenbur-
 gensem Comitis Kheuenhüllerii, oppu-
 gnare aggressi, præfectum & tormenta ad
 arcis defensionem parata, sibi tradi postu-
 lassent, inque ipso summo templo, dum sa-
 cra celebrarentur, turbas contitassent: Do-
 minū vero Gubernatorē Prouinciæ licet ar-
 mis deuictos, merito supplicio, antesigna-
 nos, quorum numerus vltra centum ascen-
 debat, afficere potuisset, nihilominus pro-
 missi

missit renacem paucos saltem ex iis, sorte le- Anno
ctos, suspendio necasse, hocque facto cle- 1626
mentiam suam & mansuetudinem decla-
rasse.

Nec tamen mearum nunc partium esse
puto omnia & singula quæ tempore insti-
tutæ Reformationis, à priuatis forsitan non-
nullis perperam commissa fuere, excusare,
cum facile præsumatur, in grauiissimi huius
negotii executione interdum perperam
nonnulla perpetrari, quæ & suis auctori-
bus defendenda, & non ipsi Reformatio-
nis negotio, multo minus ipsis D. Commis-
sariis imputanda sunt.

Cum igitur ex prædictis manifeste con-
stet, S. Cæs. Majest. Dominum nostrum
Clementissimum, in Prouincia sua here-
ditaria, Archiducatu Austriæ supra Ani-
sum, Religionis Reformationem non so-
lum jure, & legitime, non obstantibus præ-
tensis Priuilegiis, vel concessionibus, alle-
gatis, instituere, sed etiam grauiissimis de
causis executioni demandare per D. Com-
missarios eo modo potuisse, vt in omnibus
propositionibus, concionibus, dimissione
Concionatorum, & abdicatione urbano-
rum magistratuum, singularis mansuetu-
do, & clementia ostentaretur, sicque ca-

Anno lumniarum, & obiectionū vanitas diluci-
 1626. de appareret; Ipso jure indubitata est, & cō-
 firmatur conclusio nostra, quam ab initio
 huius Relationis & Discursus proponere &
 probare, cōstitueram, ob hanc nempe Reli-
 gionis reformationem à S. Cæs. Maj. insti-
 tutā, Rusticis, & incolis Prouinciæ Austria-
 cæ supra Anisum, nullo jure, seditionem
 excitare licuisse, cum præsertim erga illos
 huc vsque nihil tentatum fuerit.

Quin & in tantam rabiem effusi fuere
 Rustici, vt vigente Reformatione ab aliis
 interrogati, num Romano Catholicæ Re-
 ligioni nomen daturi essent, intrepide re-
 spōderent, nec illi sese adiuncturos, nec in-
 formationi locum daturus, prouinciave
 egressuros esse, nihilominus vero faculta-
 tes suas & bona retenturos; Eum etiam in
 finem Catholicorum dominia possessio-
 nes, & monasteria, ciues etiam & incolas
 innocentes vi & minis atrocissimis suas in
 partes attraxere, hinc arces & parochias,
 templa etiam & pleraque Prouinciæ oppi-
 da, ne quidē illis quæ Cæs. Consiliaros do-
 minos agnoscunt, exceptis, spoliarunt,
 incendio vastarunt, & summa erga inco-
 las innocentes, nulla habita ordinis, &
 sexus ratione, tyrannide vsi sunt, quorum
 omnium

omnium vberiore descriptionem prope- Anno
diem lucem visuram expectamus. 1626.

Silentio vero minime inuoluendum, di-
uerfas diuersis temporibus seditiones ab
Rusticis, sub velamine doctrinæ Euangeli-
cæ, variis in Prouinciis Germaniæ nostræ
excitatas esse: Et quidem proximi seculi an-
no 1525. in superiori Styria contra Archie-
piscopum Salisburgensem seditio exorta,
quam sequutum bellum illud famosissi-
mum Rusticanum in diuersis Germaniæ
ditionibus, Algouia, Austria, Styria, Würt-
tembergico Ducatu, Fræconia, Saxonia, Thu-
ringia, Alsatia, aliis: cum Rustici prætextu
doctrinæ Euangelicæ contra Magistratum
& Principes suos acerrimum bellum con-
citassent, verum à Principibus armis coer-
citi, & ad obedientiam perducti sunt.

Silentio hic inuoluimus, quæ durante
Reformationis negotio in tribus Austria-
cis Prouinciis, Styria, Carinthia, & Croa-
tia, diuersis in locis perpetrata facinora
fuere, quæ ex sæpedicti D. Abbatis Re-
futatione supra allegata, pluribus tradun-
tur. Et quidem ne de externis solliciti-
simus, quarta jam vice, hisce in Pro-
uinciis intra annos triginta subditi con-
tra Magistratum suum legitimum rebel-
larunt,

Anno larunt, quarum seditionum prima Rusti-
1626. eorum seditio, secunda anno 1608. tertia,
ante septennium proximum contigere,
præsenti demum horrenda hac subsecuta.

Quod si vero sacrosanctam Euangelii
doctrinam attentius consideramus, obe-
dientiã erga superiores in ea summe man-
dari, deprehendimus. Hinc enim manife-
sta Apostoli verba, subiecti esto omni su-
periori Hebræ. 3. subditi estote Principi-
bus, &c. & Euangelistæ, si non receperint
vos, & sermonem vestrum non audierint,
domũ illam egressi, pulverem excutite de
pedibus vestris. Et si persecuti vos fuerint
in vna ciuitate, fugite in aliam.

Huic præcepto diuino qui obedientiam
præstare detrectant, de Euangelicæ doctri-
næ veritate gloriari haud possunt. Deus
Ter Opt. Max. S. Cæs. Majest. Dominum
& Principem nostrum Clementissimum
diuina sua gratia, contra omnium hostium,
inprimis vero Turcorum perniciosissimos
conatus clementer protegat, & conseruet.

*Duynker-
kani naues
aliquot de-
pradantur.*

Interea vero naues Duynkerkanæ, sub
initium mensis Octob. deprædationibus
suis mare infestum reddidere, & 4. eiusdem
spolia ampla in vrberem inuexere, nauem et-
iam insignem, duodecim tormentis æneis
aliis

aliisq; necessariis rebus instructam, deditio- Anno
ne captam, in potestatem redegerunt. 1626.

Hispani interim operi gnauiter incum- *Batani à*
bentes, Rhenum cum Mosa coniungere *Comite in*
allaborabant, quod vt impedirent Confe- *Berg cast.*
deratorũ Ordines, Vrania Princeps exer-
citu insigni instructus, castra in pagis Xan-
tensi, & Calcar, munitionibus aliquot ex-
citatis, metatur. Excubiis vero negligenti-
us dispositis, Comes à Berg, 3. Octob.
summo mane Batavos improviso adortus,
eos nullo fere negotio dissipat, & in fugam
vertit, Comite à Styrum, & aliis copiarum
præfectis captis: Locum tenente vero D.
Chastillonii, & nonnullis equitibus cæsis,
captiuis etiam abductis 600. equis insi-
gnioribus, & præda magna parta.

Dissensione inter Gallia & Britannia *Res in Gal-*
Reges orta, Mareschallus Bassampierus in *lia gesta.*
Angliam ablegatur, quæ discordia Gallia
Reginam matrem sollicitam maxime ha-
buit. De coniuratis vero nihil amplius à
Rege constitutum, sed Cardinalis de Ri-
chileu Hauure de Grace Normandia vr-
bis cuius peropportunos ad instruendam
classem Indicam portus iam dudum omniũ
animos ad felicissimæ nauigationis euen-
tum erexerat, Gubernator constitutus est.
Peri-

Anno Periculosisimis motib⁹ in Italia nondum
 1626. consopitis Genuensis Respublica attentius
Genua vrbs Statui suo prouisura, urbem validissimo
munita: & muro cingi, & nouis quibusdam propu-
gnaculis communiri curauit. Hispaniarum
alia in Ita- interim Rex per ministros suos in Italia ad-
lia res gesta. huc degentes pacis negotium grauissime
 vrget, summo in id studio incumbens vt ad
 exitum optatum illud tandem perduce-
 retur, idemque etiam à Galliarum Rege
 Coure Marchioni demandatum, & seque-
 stratio ante hac instituta, rursus sublata
 est.

Gubernatoribus etiam Regni Neapoli-
 tani, & Siciliae ab eodem Hispaniarum
 Rege mandatum, suas vt triremes pediti-
 bus probe armatis instructas in Hispaniam
 ad Anglicanae classis conatus hostiles coer-
 cendos transmitterent, : idem etiam nego-
 tium Marchioni de S. Croce datum, Ge-
 nuates vero summis ab Rege precib⁹ con-
 tenderunt, ne ante absolutam pacis cum
 Sabaudiae Principe institutam tractatio-
 nem, classem abducere pateretur.

Ex altera vero parte Grifones, & confe-
 derati iis Heluetii pacificationem oblatam
 admittere renuebant, Hispanis quoque &
 Pontificiis munitiones intra diem vicesi-
 mum

num, prout petitum fuerat, demoliri de- Anno
 tractantibus. Hinc Curia congregati Gri- 1626.
 sonum Deputati 23. Octob. capitulatio-
 nes designatas recipere respuentes, Moli-
 nam Aduocatum in Galliam & ad Helue-
 tios confederatos ablegarunt, summa vi
 executionem oblatae pacificationis impe-
 dire conantes.

Mediolani interea Gubernator 30. O-
 ctob. plurimis belli ducib⁹ comitatus Gra-
 uedonam veniens, de introducendis Pon-
 tificiis copiis tractationem instituit, & Ita-
 los omnes qui sub Germanorum & Hel-
 uetiorum signis merebant, ab iis discedere,
 mandat.

Hoc etiam mense classis Anglicana in- *Anglia*
 structissima Hispaniae oras petere consti- *classis His-*
 tuit, & quidem primo naues 36. portu An- *spaniarum*
 glico soluentes, Hispaniam versus iter te- *petit.*
 nuerunt, quas subsequutus est supremus
 classis praefectus Mylord Willegby, 18. na-
 uium tormentis, aliisque rebus necessariis
 instructissimarum agmen ducens, quibus
 ordinum confederatarum Belgicorum na-
 ues se coniunxere.

Interea naues quatuor Pleymouthi por-
 tum subiere, quas pretiosissimis mercibus
 & argenti thesauris onustas, Confederata-
 rum

Anno 1626. rum Prouinciæ trirèmes ex Occidentali India reduces, vt & alias sex saccharo & aliis magni nominis mercibus onustas, in potestatem redegere.

*Ducis Vinariensis
res gesta in
Silesia.*

Ducem Vinariensem cum copiis suis in Silesiam & Ducatum Morauiaë irrupisse, & oppida nonnulla in potestatem redegisse, supra dictum. Hoc igitur mense maiora aggressus circa Troppauiam, & Gretzbergam castra metatur, dispositis sedecim tormentis maioribus, & in Bohemiaë vsque fines excursionibus crebris vicina loca deprædatur, ne quicquam sclopetariis Pragensibus illi resistentibus.

Cum vero sub finem mensis Septemb. tubicine misso Daniaë Regis copiarum præfectus se non vt hostem, sed defensorem potius, & propugnatores Religionis Prouinciæ ingressum significasset, petissetq; vt mandatum de congregatione Prouincialium instituta, reuocaretur, Illust. Lignitzii Dux supremus Ducatus Silesiaë præfectus publico edicto cuius tenor subsequitur subditos adhortatur ne aures ipsi præbeant, sed in Cæs. Majest. obedientia persistant.

Edictum Ducis Lignitensis.

P. P. Cum superioribus diebus Joachimus Mitzlaff, Regis Daniaë Commissarius Generalis literis per tubicinem Troppauiam

uiam missis à nobis petierit, ne Ducis Fried- Anno
landiæ, Generalis Cæsarei militiæ Ducis 1626:
postulatis annuentes, annonam, tormen-
ta, aliave necessaria ipsi submittere, sed po-
tius Danicis copiis, quæ religionis defen-
dendæ & tutandæ gratia, curam suscepe-
rit, illa ministrare dignaremur. Eiusdem et-
iam tenoris literas Vratislauriam eum trans-
misisse, & Lignitium petiisse, ex magistra-
tus literis 27. datis cognouimus. Cum igitur
in hisce tubicinis officio minime fun-
ctus, sed potius subditos ad rebellionem
excitare conatus fuerit, custodiæ eum laxiori
tradi curauimus. Verum & in custodia de-
tentus, literas Glogouiam & Guram trans-
mittere, & seditionem conflare tentauit,
quas Principes & Præfecti nonnulli, in ori-
ginali (vt vocant) nobis transmisere, & in
S. Cæs. Majest. obedientia sese perman-
suros polliciti sunt.

Cum igitur nulli Principum, vel Statuum,
circa Religionis negotium, ex Cæs. Majest.
mandato molestia vnquam illata fuerit,
confidere sese, subditos omnes, reiectis
prætensis huiusmodi literis, in obedientia
& fidelitate erga Cæs. Majest. perman-
suros: Officii proinde sui ratione, omnes &
singulos, cuiusque Status & ordinis sint,

E

eni-

Anno enixe sese hortari, & obtestari, vt juramentum, quo S. Cæs. Majest. obstricti tenentur, attentius inhærentes, in fidelitate & obedientia erga sæpedictam Cæs. Majest. constantes permaneant, neque religionis violatæ, vllove alio prætextu ab ea se deducipatiantur: idq; eo magis, quod S. Majest. Cæs. pacta & conuentiones, quas mediante Celsit. Potentissimi Saxonix Elect. in puncto Confirmationis Religionis, cuius authenticum (& originale vt vocant) rescriptum, in Ducatus Silesiaci Monumentis ad æternam rei memoriam asseruetur, inuiolabiliter obseruare, & custodire fidem suam obstrinxerit: & cum An. 1621. consimilia sub prætextu Religionis conseruandæ clancularie nonnulli molirentur, 24. Junij, eiusdem anni, sub fide Cæsarea affirmarit, omnia & singula, quæ S. M. vigore initæ Transactionis & Conuentionis Saxonix pollicita fuerit, Principibus, Statibus, & omnibus incolis huius Ducatus, sese inuiolabiliter conseruare, & custodire velle. Eueniente proinde casu, saniora consilia & pacificatoria amplectantur, & hostiles copias propulsando, in obedientia erga S. Cæs. Majest. permaneant, ne, exemplo Glazensium vicinorum, qui huiusmodi per-

persuasionibus delusi, Religiosa pariter & Anno
 Prophanæ pacificationis, usu excidere: nec 1626:
 enim periuriis, & infidelitate, sed ardenti-
 bus potius precibus; vita honesta, & obe-
 dientia erga magistratus Ecclesia Dei con-
 seruari, & propagari: &c. Dab. Lignitii
 2. Oct. 1626.

Collectis interea copiis militum Duces
 Schaffgotschy, Colloredus, Henricus Het-
 telius, obuiam Vinariensi profecti, acriter
 eos aggrediuntur, sed fugæ initio à Cossacis
 facto, 300. ex suis amissis pedem retro-
 ferre coguntur. Occubuit in eo conflictu
 Polonorum signifer, signumq; in hostium
 potestatem redactum. Cum vero belli du-
 ces fugam hanc Polonis grauer expro-
 brassent, magnâ partem à signis delapsi, vna
 cum præfecto Kuchiusky, domum con-
 cessere.

Superiori libro belli Turcici contra Per-
 sas mentio aliquoties facta, quod hoc etiã ^{Turci à Per-}
 tempore post varias ludentis fortunæ vicif- ^{sis cæsi.}
 situdines, reuertit: Et quidē Persæ men-
 se Octob: magna vi & furore Turcica ca-
 stra aggressi, maximam hostium stragem e-
 didere, occisis ad 70000. Turcis, reliquis
 in fugam actis. Rex vero Persarum insigni
 hac victoria parta, Belzariam petere, & in
 E 2 Soriam

Anno Soriam irruere constituit, vbi 40000. eum
 1626. sclopetarii expectare ferebantur, vnde ma-
 gnus Turciam metus inuasit, & Janitzari
 Constantinopolitani, seditione excitata, eo
 quod annona aliaque ad bellum necessaria
 ipsis haud opportune subiecta fuisset, ma-
 trem Turcici tyranni, quem regni guber-
 nacula administrabat, sibi dedi postularunt.
 Verum Turcarum Rex praefectos & Duces
 eorum, vt & Spachiorum, quos vocant, in
 arcem euocatos, octo ex iis capite trunca-
 ri, & 30. laqueo suffocari praecipit: quo
 viso seditiosi quieuerunt.

*Res à Rusti-
 cis Austria-
 cis gesta.*

Rustici interea Austriaci, ob rem bene
 gestam, exultantes, majori numero coiue-
 re, cui Seren. Bauariae Dux copias etiam
 suas congregatas opposuit, & S. Cael. Maj.
 duci Illust. D. Pappenheimio tres legiones
 ad retundendum eorum furorem misit. Ru-
 stici vero monasterium Schlegel 18. Octo.
 incendio deuastarunt, & incolas alios 200.
 Romanae Catholicae Religioni addictos
 contrucidant, monasterio etiam Wellin-
 gensi pariter deuastato, hinc vna cum aliis
 Rusticis, qui e regione Molatrina dicta, ad
 eos se aggregarant, Gmündam urbem oc-
 cuparunt, vltiora, & maiora etiam ag-
 gressuri nisi 23. Octob. 1000. sclopetarii,
 &

& aliquot equitum turmæ, iis obuiam pro- Anno
gressi, impetum eorum retudissent. 1626.

Turcæ interim Regni Vngarici diuersa *Transylua-*
loca, castella & propugnacula minora, & *nia Dux*
leuioris momenti, sub potestatem redi- *suas cum*
gunt, & deprædantur, nec minus Trans- *Turcis co-*
sylvaniæ Dux copias suas instructas tum *pias coniu-*
temporis cum Turcicis conjungebat, No- *git.*
uiogradum vsque excurrentes, etiam du-
bio procul eam interciperere conatus, nisi
Cæsareanorum virtus & fortitudo ipsi re-
moram iniecisset, cuius metu induciis ab
illius præfectis postulatis, eiusmodi condi-
tionis & transactionis media sese proposi-
turum declarans, quibus pacificum animū
suum, & boni publici cupidissimum omni-
bus demonstraret. Tandem vero cum Cæ-
sareanis copiis longe inferiores sese vide-
rent, in diuersa diuersi abiire: Transylua-
no legatos suos ad Cæs. Majest, ablegatu-
rum sese, Palatino Vngariæ prolixè signifi-
cante.

Nec minor à bello in Saxonia Inferiore *Res inter*
quies, Hoc etenim mense Illustr. Generalis *Cæs exerci-*
Tillius diuersa eius Prouinciæ loca, vrbes *tum & Da-*
& propugnacula in potestatem redigit, & *nicū gesta.*
copias Danicas iis excedere cogit. Et qui-
dem 4. Octob. arcem Rotenburgensem

E 3 oppu-

Anno oppugnare aggressus, tormentis eam qua-
 1626. tit, & 21 eiuldem mensis occupat, reliquis
 etiam omnibus fere Ducatus Brunsvicen-
 sis munitioribus locis, excepta Guelforum
 arce, in potestatem, & fidem S. Cæs. Majest.
 redactis. Daniæ vero Rex Stadæ subsistens,
 urbem illam munitionibus amplioribus
 cingere constituit, & propugnacula aliquot
 circa eam erigi curavit.

Cum vero Illustr. D. Comes Tillius to-
 tum comitatum Hoyensem excepto Nien-
 burgo, totum Episcopatum Verdensen,
 & Archiepiscopatum Bremensem, exce-
 ptio Verda, Buxtehoudo, & Stada in pote-
 state haberet, & duo amplissima propugna-
 cula Brinckense, & Höchtingense, sola
 æquari curasset, omnibus locis præsidio
 firmatis, in Ducatum Brunsvicensem re-
 gressus est. Dani vero in Ducatum Lune-
 burgensem excursionem instituere, quibus
 Illustr. Luneburgensium Dux Georgius
 cum copiis obviam progressus, oppida
 nonnulla recuperat, Illustr. vero Comes
 Tillius 29. Octob. tertio ab vrbe Brunsvi-
 censi lapide Königsluteræ castra metatus,
 com meatum omnem, tormenta, & alia bel-
 lica instrumenta eo transferri curavit.

Interea Illustr. Comes Furstenbergius
 mu-

munitissimam arcem Steurvvald octo tor- Anno
mentis maioribus, oppugnat, & deditione 1626,
capit, præsiariis in S. Cæs. Majest. castra
transeuntibus.

Daniæ vero Rex literis ad diuersos or- *Regis Daniæ*
bis Christiani Principes & Status perscri- *litera ad*
ptis propositum suum iis exposuit, & *Ordines*
inter alia tales ad Belgii Prouincias ex- *Belgij Con-*
ratas dedit: P. P. Intermittere non potui- *fœderatos.*
mus, quin vobis hisce significemus, Nos,
aduersa licet Fortuna præterito Augusto
cum hoste conflictantes, animum minime
despondisse, multo minus communi cau-
sæ deesse voluisse, sed inuicto potius ani-
mo, Dei auxiliante gratia, in proposito no-
stro persistere, non dubitantes, Deum o-
mnipotentem quamuis peccatis nostris
iratum, hucusque nos afflixerit, tandem
tamen innocentum suorum fidelium mi-
sertum, Ecclesiam suam conseruaturum.
Cum proinde Equitatum nostrum non so-
lum recollegerimus, sed etiam magnum
peditum numerum instructissimum, &
præcipua Archiepiscopatus huius loca
præsidis firmata in potestate habeamus,
& Tillius alio diuertere fuerit coactus.

Necessarium duximus, Principes Chri-
stiani orbis nostri amantes de propo-
sito

Anno sito voluntatis nostræ certiores reddere,
 1626. & auxilium eorum implorare. Et quidem
 cum Legatos nostros ad Christianissimum
 Galliarum Regem, & Illustr. Remp. Ve-
 netam miserimus, Vosque Legatos apud il-
 los perpetuos habeatis, vestrum erit, etiam
 ob propriam vtilitatem & commodum,
 nostrum hoc propositum & commune
 negotium omni cura promouere, & vt
 suas nobiscum vires, & consilia coniu-
 geant, enixius curare, &c. Stadæ 21. Octob.
 1626.

*Novi Ar-
 chiepiscopi
 Moguntini
 electio.*

Vacante hoc tempore Archiepiscopatu
 Moguntinensi per obitum Reuer. quon-
 dam Principis Joannis Suicardi, mense
 hoc Octob. die 20. Reuer. Collegium
 Moguntinensis Ecclesiæ, vnanimi voto &
 consensu Reuerendiss. Principem & Do-
 minum, Dominum Georgium Fridericum
 Greiffenclavv à Volrath, Episcopū Wor-
 matiensem, & Præpositum Moguntinum,
 in Archiepiscopum Moguntinensem, &
 S. Imperii Romani Electorem, elegit,
 & denuntiauit: Facta demum proclama-
 tione, siue renuntiatione Capitulares de-
 centi ordine à summo vrbis templo Ar-
 chiepiscopum nouiter electum in arcem
 Archiepiscopalem deduxere, concomi-
 tan-

tantibus vna summi Pontificis Nuntio, & Anno
 illustr. Barone, Joanne à Reck S. Cæs. Maj. 1626.
 Consiliario, & Magnifico itidem ac Nobi-
 li Domino Eustachio à Franckenstein, Cæ-
 sar. Majest. Legatis.

In Grisonum territorio, res hoc tempo-
 re adhuc turbatæ: cum enim Pacificatio-
 nis conscripti articuli non omnibus, arride-
 rent, legiones aliquot militum in monta-
 nis adhuc retinuerunt, quorum opera exi-
 gente necessitate vterentur: cum in primis
 etiam non nihil contentionum inter Hispa-
 nos & Gallos, ob propugnaculorū & mu-
 nitionum demolitionem & militum præsi-
 diariorum numerum exortum esset. Tor-
 menta interim aliquot, & annona Co-
 mum, & inde Riuam deducta. In Portum
 vero Genuensem II. Neapolitanæ & Si-
 culæ triremes quibus milites partim sub si-
 gnis in Italia retinendi, partim in Hispa-
 niam transmittendi, impositi, subiere.

*Res in Italia
 gesta.*

Cum vero Grisonum Legati Pagis Hel-
 ueticis Catholicæ Romanæ Religioni ad-
 dictis mandata sua exposuissent, Altorffii
 conuentu habito Grisonibus omnem sub-
 sidiorum spem denegarunt, ne pactis ab
 vtraque parte constitutis contrauenire vi-
 derentur: Tigurense vero, & Bernate,

E s omnem

Anno omnem ulteriore deliberationem in re-
1626. ditum vsque Legatorum, differre econtra
moliebantur.

*Res in Vn-
garia inter
Casar. &
Transylua-
nos gesta.*

Cæsareus interim exercitus ab vtrisque
tum Mansfeldii, tum Turcicis, & Transyl-
uani copiis multas perpetiebatur mole-
stias: quorum impetum vt eo animosius
sustinerent, varia ad rem tormentariam
spectantia instrumenta & machinas ex arma-
mentario Viennensi 11. Novem. ipsis sunt
transmissa.

Dominus etiam Nadafti 14. Nov. cum
suis in castra incolumis rediit, postquam
600. Hungaricis militibus comitatus ultra
Albæ Regalis confinia excursionem fecif-
set, & pagos nonnullos, villas & oppida de-
prædatus, incendio concremasset, opima
præda, & captiuis quam plurimis abductis,
Turci interim turmas aliquot Gallorū cæ-
dunt, Mansfeldius vero cum copiis suis ad
Turcarum transiens castra, eos Transylua-
niæ Principi tradidit, qui legatis Posonium
missis pacem ab Cæl. Majest. certis condi-
tionibus expeterent, quarum inter alias ea
potissima erat, vt Moraviæ Marchionatus,
& Jägerndorffii Ducatus, certo pretio per-
soluto, sibi concederentur.

Quod vt facilius impetraret, Cancellaria-
rium

rium suum & Archiepiscopum Posonien- Anno
sem, ad inducias cum Cæsare procuran- 1626.
das, transmittit, quo facto milites in hyber-
na dimissi, & Cæsareani Motram abducti,
multi tamen frigore, & annonæ penuria
interiere.

Turci interim dimissionem in hyberna
à Præfecto suo flagitantes, seditione 20.
Nov. in castris excitata, corporis ipsius
custodes Janitzaros, ante tentorium Præ-
fecti trucidarunt, verum Præfectus cum
nonnullis fuga elapsus ad Transylvaniam
transiit, qui vna cum Hungaris, & duabus
turmis militum exoticorum, Turcas sedi-
tiosos adortus, 19. ex primariis, inter quos
& Aly Bassa Budensis contrucidat, & sedi-
tionem tollit.

In Saxonia etiam Inferiore Mars hoc *Res inter*
mense grassabatur, cum enim Illustr. Co- *Cesar. &*
mes D. Tillius, Cæsarei exercitus Genera- *Dania Re-*
lis comperiisset, Danicas copias Duce Chri- *gio exercitæ*
stiano V. Daniæ Regis Filio, reditum in Du- *gesta.*
catū Brunswicensem moliri, 16. Novem.
omnibus coactis copiis, tam equestribus,
quam pedestribus, instructus Verdensem
ingressus Episcopatum, occurrere iis con-
stituit, & ne quid temporis inutiliter elabi
pateretur, arcem Hoyensem, inter Nien-
bur-

Anno burgum & Bremam sitam, in potestatem 1626, & fidem Cæs. Majest. adigit, quam tamen paulo post Dani recepere, magna præda, & equis 300. partis, 500. è suis & primario quodam belli Duce in eius expugnatione amissis.

Daniæ interim Rex, vna cum Filio, Christiano V. Albim fluuium famosissimum transgressus, Holsatiæ fines ingressus Rensburgum petiere, vt Comitibus Prouincialibus indictis, interessent, quæ sublequenti modo peracta fuere.

*Comitia
Holsatica
Prouincia-
lia.*

Et quidem primo Nobilissimus Gerardus Rantzouius Regius in Ducatu Holsatiæ Vicarius, equitibus quinquaginta sumptibus propriis probe armatis, comitatus, & alii Ducatus Schlesvicensis ex ordine Equestri Viri Nobilissimi, vna cum equitibus aliis suis sumptibus armatis, & confederatarum Urbium Legatis, Regi Daniæ, qui nudato capite supra Ciuitatis portam constiterat, sese conspiciendos sublimes in equis præbuere, quo facto Celsiss. Princeps Christianus Junior, exercitus vniuersi lustrationem instituit, & peregit.

In Curiam inde deductis Equestri ordinis Nobilissimis viris, & Ciuitatum Legatis, Daniæ Rex arcem, vna cum Egidio Lan-

Lankenſi ſeſe contulit : Cancellarius vero Anno
Holfatiæ Ducatus Doct. Buſchius oratione 1626.
Regis nomine habita, cauſas inſtituti con-
uentus prolixè enarrauit, earū primariam
eſſe aſſerens, grauiffimum periculum Pro-
uinciæ ob hoſtium aduentum impendens:
quod vt auerti commodius poſſet, maxi-
mopere neceſſarium eſſe, vt coniunctis vi-
rib⁹, conſiliis, & auxiliis, conatus eius auer-
tantur: Neque vero moueri debere, quod
Comitia hæc à Daniæ Rege, non vero ipſo
Holfatiæ Duce, Prouinciæ Domino, indi-
ctæ ſint, cum enim Cell. ipſius Mediato-
rem ſeſe hætenus & Pacis Conciliatorem
exhibuerit, ſui muneris nõ fuiſſe, vt Comi-
tiis indiſtis aliquid in alterius partium præ-
iudicium attentare velle, alii præſumerent.

Gratiis poſthæc à Syndico Prouinciali
Henrico ab Hatten, nomine congregato-
rum ordinum, & Legatorum, Regi, pro
paterna beneuolentia & cura erga Prouin-
ciam, actis: præfatus Gerardus Rantzo-
uius dilatione ad deliberandum ſuper pro-
poſita conſultatione, primum petita, pau-
lo vero poſt abſque vlla mora, animoſe re-
ſpondit: Optimum ſibi, & ob præſentiſſi-
mum periculum vtiliſſimum conſilium vi-
deri, cui etiam maiores innixi, Remp. feli-
citer

Anno cetera administrauerint, vt coniuñctis viri-
 1626. bus, consilio & ope, hosti opportuno loco
 occurrere, à suis finibus auertere; non ve-
 ro intra suos limites expectare velint; Et
 quidem sese, ætate effœta, quamuis quiete
 & vita tràquilla magis, opus habere videa-
 tur, quam vt bellicis molestiis, subdito in
 castris vitam transigat: aliis exemplum præ-
 biturum, & inter primos hosti obuiam pro-
 gressurum: sperare proinde sese, omnes &
 singulos patriæ amantes, vestigiis suis in-
 hæluos, & ad auertendam hostium vim,
 quæuis pericula subituros: hoc enim exi-
 gere ab ipsis amorē & obedientiã erga diui-
 na mandata, & Dei verbum, ipsius juris na-
 turalis obseruantia, & æquitatē, reuerentiã
 erga Deū, & Magistratus, & dilectionē erga
 proximum, vt vel sanguinem & vitam con-
 tra patriæ hostes profunderē nō defugiant:
 Regiam proinde enixe petere M. vt non
 solum omnes & singuli, equestris ordinis
 viri, huic militiæ nomen dent, & hosti ob-
 tiam procedant, sed vt etiam refractarii o-
 mnibus, famæ, & nominis dignitate priua-
 ti, bonorum etiam & facultatum amissio-
 ne, fisco adiudicandorum, puniantur. Ta-
 les vero equites armandos, qui fortitudine
 præstantes hostis conspectum minime fu-
 giant.

giant. Omnes etiam & singulos villanos, in Anno
 propria persona, nisi filium legitimæ ætatis 1626:
 & fortitudinis bello idoneum miserint, mi-
 litia huic sese accingere: reliquos vero vil-
 lanos quaternos militem armis probe in-
 structum mittere debere: Iis vero qui ex-
 tra Prouinciam hosti obuiam progressi fue-
 rint, annona, & vestimenta necessaria,
 quamdiu citra Albim commorati fuerint,
 è Prouincia Holsatiæ submitti debere. Quæ
 omnia & singula Equestris ordo rata ha-
 buit.

Ciuitatum vero Legati non attentis præ-
 tensis grauaminibus, postero die, annitente
 maxime præfato Vicario Regio, in eam
 conuenere sententiam, vt pro numero ara-
 trorum, quæ quilibet villicus possidet, æ-
 qualis etiam numerus militum instruere-
 tur. Post hæc Slesvicensium equitū Dux
 Breda Rantzouius, Holsatūm Henricus
 Blumius, constitutus: & stipendiorum so-
 lutio ciuitatibus in singulos menses impe-
 rata.

Postquam superiori mense Seren. Polō- *Res inter*
 niæ Rex in castra appulisset, quinto No- *Pol. niæ*
 vembris, vna cum filio & quamplurimis ex *Suetia Re-*
 præcipua Nobilitate Polonica, comitatus, *ges gesta.*
 urbem Dantiscum sub vesperam ingressus,
 summa

Anno summa magnificentia, & lætitia ab urbano
 1626. magistratu ac ciuibus, excipitur: & matu-
 ra deliberatione cum Senatoribus, & pri-
 mariis Ciuium habita, Termundam pro-
 pugnaculum munitissimum secundo mi-
 liari Dantisco distans, lustrauit, & Decimo
 tertio prædicti mensis, Toruniam ad ce-
 lebranda comitia, quæ ad diem 29. eiusdẽ
 mensis indicta erant, est profectus.

Polonicæ interim naues aliquot Ter-
 munda soluentes, naues nonnullas diuer-
 sarum nationum, Suetiæ Regi annonam
 subuecturas, intercepere, sed annona à mi-
 litibus in mare proiecta, præda haud ma-
 gna ablata.

Suetiæ vero Rex in castris suis hærebat,
 Propositi interea etiam articuli Pacificato-
 rii, à quibusdam fuere, sed Suetiæ Rege eos
 admittere renuente, frustra fuere, qui in
 Suetiam regressus, loca quæ in potestatem
 redegerat, firmissimis præfidiis muniuit,
 haud obscure præse ferens, sese ineunte ve-
 re viginti armatorum millium exercitu in-
 structum bellum restauraturum.

Polonus interea exercitu lustrato ad
 triginta militum millia è diuersis nationi-
 bus conscriptorum, sub signis sese habere,
 compescit.

In-

Instruxerat ante hac Magnæ Britannæ Anno
 Rex classem maximis sumptibus & cura 1626.
 adornatam, ad infestandas Hispaniarum *Hispanica*
 oras maritimas; Ad eius igitur impetum re- *naues portu*
 tundendum Hispanus quadraginta naues *solvunt.*
 maximis impendiis instruit, tormentis, an-
 nona, milite ornatas, & in occursum eius
 emittit: quæ cum aliis prædatoriis nauibus
 sese coniungens, classem argentum ex In-
 diis deportantem præstolatur. Nouem et-
 iam naues, pretiosissimis mercib⁹ onustas,
 triremes Batauæ captas abduxere.

Horrendū interim Mars in Austria graf- *Rustici à D:*
 sator; & Rustici crebris excursionibus *Pappenhei-*
 Cæsareanos aggressi; varia conflictantur *mio cafi.*
 fortuna; Dominus vero à Pappenheim
 30. Octob. mensis plena ab ipsis reportata
 victoria, bello finem imponere visus est;
 prout ex epistola subiecta cuius manife-
 stum.

Cum Schardingam appulisset, centum
 equites, & octo signa peditum, nauibus ad
 hoc præparatis, impositos, Lintzium trans-
 misi, eo fine, vt hosti, cum vniuersis copiis
 eo transgressurum me fore, fidem facerem;
 & terra iter faciens, Griesbacam versus pro-
 fectus, noctu copias omnes; cum iis; quæ
 per Danubium transmissæ fuerant, coniun-

Anno xi, secundo tandem Nou. magnis itineri-
 1626. bus Lintzium appuli, in scio hoste, qui Da-
 nubii oras tantum in se derat, & octo diuer-
 sis in locis catenis flumen claudi curauerat.
 Coniunctis igitur hoc modo copiis, octa-
 tio Nou. die, vnacum Lobelio, militū Du-
 ce, Effertingam venimus, & subsequenti
 die, acie hoc ordine instructa, vt Cæsarea-
 nis à sinistris, Bauaris & meis copiis, à dex-
 tris, Holsatiæ Dux posteriorem aciem du-
 ceret, tormentorum cura Domino de La-
 tore cōmissa. Hostis vero è syluæ latebris,
 sæpiuscule egressus, nunquam copiam sui
 præbebat, donec tormentorū ictib⁹ excitus,
 magno furore & audacia, instructis ordini-
 b⁹ à dextris in nostros impetum facerent. In-
 signi vero rabie Cordobacensium equitum
 impetum sustinere, & quamuis magno ab
 iis numero cæsi, intrepide nihilominus ex
 altera etiam syluæ parte egressi, aciem no-
 stram in medio constitutam, in primis vero
 D. Löbelii turmas incredibili audacia op-
 pugnaere, tandem vero ab iis repulsi, ci-
 uitatem versus fuga elapsi, partim ab equi-
 tibus, partim à tormentariis in sylua magno
 numero cæsi fuere. In primis vero magno
 impetu in tormenta nostra facto, in pote-
 statem ea redigere conabantur, sed à supre-
 mo

mo meo Locum tenente, qui cum duabus Anno
 turmis primam aciem ducebat, fortiter re- 1626
 pulsi: Cognita vero hostis pertinacia, & D.
 Cortenbachii vulnere, minis partim, par-
 tim precibus & exhortationibus militem
 aduersus hostem instigando eo rem tan-
 de deduxi, vt post acerrimam duarum hora-
 rum spatio durante concertatione, hostis fu-
 ga salutem quereret, vltra 2000. ab insequentibus
 equitibus occisis, quamplurimis etiam Da-
 nubii aquis suffocatis, qui in insulam quan-
 dam Danubii euadere conabantur, paucis Ef-
 fertingam saluis elapsis. Ingruente nocte
 copiam omnes vnum in locum congregatae,
 noctem iuxta syluam quiete transegere. In
 hoc conflictu aliquoties cognitum, octo
 vel decem rusticos magno furore turmam
 integram Cæsareanorum aggressos, maxi-
 me fortitudinis & audaciae documeta edi-
 disse, nulloque pacto vulnerari potuisse:
 quin Ducem ipsorum qui postea a D. Cor-
 tenbachio propria manu globo tormen-
 tario traiectus occubuit, (incredibile di-
 ctu, auditive) maioris tormenti globo in
 pectore ictum, nullo accepto vulnere, re-
 tro lapsum, cuius etiam equum arte magica
 inuulnerabilem redditum captiui attesta-
 bantur.

Anno 1626. Media nocte incolæ ciuitatis Effertingæ
 clauēs vr̄bis tradidere, rusticis fuga, relictis
 quinq; tormentis maioribus, elapsis. Vr̄be
 proinde præsidio firmata, Gmündam ab
 rusticis obsessam 23. Nov. libertati restitui-
 mus, rustici vero cum aliis 8000. qui ea no-
 cte sese iis coniunxerant, eodem ferme
 modo quo superiori prælio factum syluæ
 latebras petiere, & subsequenti die, acie in-
 structa, & concione à Studioſo Duce ha-
 bita, decantatis etiam Psalmis, post le-
 ues aliquot velitationes, magno tandem
 cum furore, & constantia, Cæsareanos ab
 vtraque parte aggrediuntur, cædunt, pro-
 pulsant, & dissipatis ordinibus infugā pro-
 pellunt, fugientesque ad vsque vr̄bis por-
 tas insequuntur, nequicquam tormento-
 rum ictibus, ex vr̄be ipsis ingruentibus, re-
 tardati. Mei interim milites hostili aciei
 immixti, impetum eorum primum susti-
 nuere, sed magno hostium furore compul-
 si, ad 200. passus retrocedere coacti fuere,
 diuque ancipiti prælio decertatum, sed
 tandem à 300. sclopetariis, qui in hunc v-
 sum reseruati fuerant, vnacum duabus tur-
 mis hastatis & Domini de Latore copiis
 auxiliaribus ab vtraque parte infestati, vn-
 dique sese cinctos animaduertentes, obsti-
 natissi-

natissima pugna redintegrata, ultra qua- Anno
 tuor horarum spatium nostriū impetum 1626.
 fortiter sustinere, donec virtute & cōstan-
 tia nostri militis obruti, fuga effusa facta,
 dissipati, loco cederēt. Reuersas interim
 præda onustas turmas illas, quæ Cæsarea-
 nos persecuti fuerant, cohortibus illis,
 quas in omnem euentum reseruaram, ag-
 gressus, in fugam conieci, & tormenta rece-
 pi. Magna vero pertinacia, fortitudine &
 constantia vtrinque pugnatum, meisque
 copiis persuasum, Cæsareanos fugientem
 hostem ultra montem, & syluam interme-
 diam persequutos, cum fugam eorum vi-
 dere minime possent. Occubere ex hosti-
 bus 4000. qui partim in ipso conflictu,
 partim in syluula à sclopetariis cæsi, paucis
 ex nostris occisis, multis vero vulneratis,
 insignem nobis peperere victoriam. Ab eo
 vero tempore quo propter itinerum diffi-
 cultatem literas hæc transmittere non
 potui, duobus præliis cum hoste decerta-
 uimus, 19. nempe Nou. ad urbem Recla-
 pruck, altero 30. eiusdem mensis, quibus
 duabus in pugnis millia aliquot hostium
 occubere, & tormenta septem maiora re-
 cepta, Studiosi etiam & Bartholomæi Erc-
 kerii capita exhibita fuere.

Anno 1626. Parta insigni hac victoria Rustici magno metu consternati, maximam partem dissipati, extra prouinciam alias in regiones perfugere, quamplurimi vero in Bohemiã, & Morauiam euaserunt, nonnulli etiam propria domicilia repetiere, in tantum vt sub initium mensis Decembris, rebellio hæc plane extincta, & seditiosi rustici perdomiti censerentur, eaque de causa Illustr. D. Pappenheimius variis locis & pagis, quos Rustici inhabitarent, præsiidiis firmavit, quamuis multi ex pagis omnibus habitatoribus destituti, militum hospitio cederent: Et quidem præfatus D. à Pappenheim Gmündam, Illustriss. vero Holsatiæ Princeps Effertingam, & D. Preunerus ordinum Ductor, Bohemiæ oras tenuere.

*Tartari à
Polonis cæsi.*

Durante bello Bohemico Poloniae Regem, Diuo Ferdinando Imperatori suppeditias tulisse, aliquoties dictum, subsidia vero hæc vt auerterent, Tartari instigatu procul dubio aliorum, in Poloniae regnum irruere, verum singulari stratagemate à Polonorum Ductoribus delusi omnes cæsi, insignem Polonis peperere victoriam. Suorum enim paucitati diffisi Poloni, colonis in tutiora loca dilapsis, fugam simulantes, in siluam sese abdidere: quo cognito Tartari tribus

bus instructis agminibus prouinciam de Anno populabundi ingressi, quarto agmine ad 1626. castrorum, & impedimentorum custodiam relicto. Verum Poloni Tartarorum castra oppugnantes, omnes trucidant, & magno silentio reliquorum reditum præstolantes, omnes eodẽ modo cędunt, captiuis quamplurimis abductis, & opima præda parta.

Præter proxime descriptam victoriam Illustr. D. Pappenheimius, fortunæ aura benigniore aspirante, tertiam de Rusticis victoriam retulit, & munitionẽ ab ipsis Griefbergæ excitatam demolitus est, Purbachiũ inde contendit, quo loci Rustici coitionem nouam & seditionem moliri ferebantur, dissipatis igitur, & in fugam adactis illis, munitiones omnes solo æquari curauit, & intra trium ferme hebdomadarum spatium motus hosce periculosissimos compefcuit.

Res cū Rusticis Austriacis gestæ.

Turcarum etiam Imperator, hoc mense, magnavi bellum aduersus Persarũ Regem restaurare conabatur, & vasallis suis, copiarumque præfectis militum conscribendorum negotium dat, quo ineunte vere lumis viribus hostem oppugnare, & amissa superiori anno loca recuperare posset.

Turca bellum aduersus Persas instaurat.

Comitia interim à Poloniae Rege sub

Comitia Turonensia insoluta.

Anno initium Novemb. indicta, mense Decemb.
1626, exitum sortita sunt, & bellum contra Sue-
cum modis omnibus prosequendum esse,
vnanimi omnium voto conclusum, inque
sumptus 6. Ponor, siue auri tonnæ, vt vo-
cant, constitutæ.

*Dissidia in-
ter Angliam
& Galliam
Reges exor-
ta.*

Dissensiones inter Angliæ & Galliarum
Reges exortas, supra commemorauimus,
quæ hoc tempore consopitæ videbantur,
dum Angliæ Rex duodecim sacerdotes,
episcopum vnum, cubicularium vnum,
duas pedissequas, Medicum, & tres mini-
stros Gallos, in Reginae seruitium admissu-
rum spondebat. Legatus etiam Gallus ma-
gnificentissime habitus, 4. Decemb. aureo
monili adamantibus & pretiosissimis mar-
garitis exornato, cuius pretium 40000.
Imperialium æstimabatur, donatus fuit, ni-
hilo minus tamen interdictum contra bo-
na, & naues banno subiectas nondum
sublatum.

*Regis Hi-
span. edictum
in Belgicis
Prouinciis
publicatum.*

Antuerpiæ interim Hispaniarum Rex,
edicto 22. Decembris proposito, nautis,
mercatoribus, & omnibus, qui nauigatio-
nibus vtantur, cuiuscunque sint nationis
plenam concedit potestatem, omnes na-
ues, & bona hostium & rebellium suorum
subditorum, quæ in suam potestatem re-
degerint, & in portus dominio suo subie-
ctos

Etos subduxerint, diuendendi, modo quin- Anno
tam partem regio Fisco persoluant. 1626.

Tempestate grauissima hoc tempore in *Tempestatas*
mari exorta, quamplurimæ naues submer- *in mari ex-*
sæ fuere. *orta, & res*
in Belgio

Collegium interim Negotiatorum In- *gesta.*
diæ Orientalis, diuenditis pretiosissimis
quibusdam mercibus 60. auri tonnas col-
legerat, & 28. tonnis mutuo sub fœnore
quinque pro centenario sumptis magnam
quid moliri videbatur.

Duynkerkani etiam nauibus instructis
mare infestum reddidere, & naues tres,
Batauas, 21. huius mensis Decem. sequen-
ti etiam die aliam vino & frumento onu-
stam in potestatem redegere.

Collegium quoque Negotiatorum In-
diæ Occidentalis naues 23. instructissi-
mas in Africæ oras, & regnum Guineæ ab-
legauit.

Galliæ vero Rex omnes naues Angli-
canas, & Scoticas, quæ in confinio Burde-
galensi, aliisque portibus regni Francici
stationes habebant, arresto subiicit, & de-
tineri mandat, vnde magnæ confusiones &
querelæ in Anglia exortæ.

Transyluania Dux legatis missis indu-
cias mense Nouemb. à S. Cæs. Majest. ob-
tinuerat, & conditiones aliquot pacis pro-

F s posue-

Pacis tra-
ctatio cum
Duce Tran-
syluania.

Anno posuerat, quamuis interea loca aliquot
 1626. Vngariæ in potestatem redegisset: Vberio-
 ri igitur deliberatione habita, subsequen-
 tes articuli, & media proposita fuere, qui-
 bus pax constitueretur.

Nos Gabriel, &c. Memoriam commen-
 damus tenore presentium significantes,
 quibus expedit vniuersis. Quod quum nos
 studio pacis ac mutue reconciliationis, cum
 Sacratissima Cæsarea & Regia Maiest. cer-
 tos nostros ablegatos plenipotentarios
 Posonium ad eius tractatum misissemus,
 qui tandem cum Dominis Ablegatis præ-
 fatæ suæ Maiestatis, similiter plenipotenti-
 ariis ad certas pacis conditiones atque con-
 cordiam pariter vtrinque in aliis omnibus,
 præter vnicum Articulum bonorum suæ
 Maiestatis fidelium ab Anno 1619. quali-
 tercunq; occupatorum & abalienatorum,
 restitutionem concernentem. Ideo de eo
 quoque memoratos Dominos, Sacræ Cæ-
 sareæ Regiæque Maiestatis plenipotentia-
 rios ita duximus ad partem assecurandos.
 Quod quamuis ex nouissimo hoc pacifi-
 catorio Diplomate specifica mentio resti-
 tutionis eiusmodi bonorum ommissa sit: Nos
 tamen & studio complacendi S. Cæsareæ
 Maiestati, & vt odiorum ac dissensionum,
 fomen-

fomenta tollantur, firmiorque pax stabi- Anno
liatur; nonnulla jam bona per ablegatos 1626.
Plenipotentiarios nominatim vero, Pagos,
Nadaz Kisfalud remisimus; Reliqua etiam
bona fideiū suæ Maiestatis ab Anno 1619.
per nos inscripta siue per nos, siue per alios
possessa, restitui faciemus. Pagi tamen Re-
plak, Apatig, & cæterorum Pagorum illuc
spectantium, eam partem, quam Capitu-
lum Strigoniense ad rationem Seminarii
Tirnauiensis possedit, ea conditione vita
nostra durante tenebimus, vt Annis singu-
lis ad festum S. Georgii quingentos flore-
nos Arendæ nomine Capitulo Strigonien-
si soluamus. Hoc tamen circa bonorum
istorum restitutionem excepto, quod qui
cum medio tempore, cum modernis pos-
sessorib⁹ contractū aliquem ineundum du-
xerunt, ii non vigore huius assecurationis,
sed via juris bona acquirendi habeāt facul-
tatem, prout assecuramus quoq; & affida-
mus supra præfatos Dominos Plenipoten-
tarios in verbo nostro Principali bonaq;
fide nostra, præsentium per vigorem. Da-
tum Leutschouix 28. Decem. Anno 1626.

Amnistia.

Quod Amnistiam & obliuionem gene-
ralem omnibus statibus & ordinibus septē
Comitatum Domino Principi concessio-

rum

Anno rum, aliisq; omnibus qui ex præscriptis Do-
 1626. mino Principi hisce motibus adhæserunt,
 aut ratione seruitii & famulatus eidem ob-
 stricti ante hos motus fuerint, omnium eo-
 rum quæ à die prima Mensis Septembris
 Anno 1626. vsque modo, hinc inde gesta
 commissaq; fuerunt, benigne concedimus.
 Ita quod omnes cædes, rapinas, spolia, ca-
 strorum interruptiones, Comitatum Op-
 pidorum possessionum, & villarum oc-
 cupationes, generaliter vero vniuersæ vio-
 lentia, sub hoc tempore factæ & patrata, nulli omnium cuiusvis status & conditio-
 nis & præminentia imputentur, sed de pla-
 no & simplici oblitterentur, & nullo vnquam
 tempore quouis exquisito modo & colore
 neq; per Maiestatem nostrâ ac nostros suc-
 cessores legitimos Hungaria Reges, nec per
 ipsos Regnicolas ad inuicem palam vel oc-
 culte, in vel extra iudicium per se vel per a-
 lios, possent præterea vel impediri vel ali-
 qualiter aggrauari. Quin imo hi omnes v-
 niuersi super suis pactis intra præfatû tem-
 pus commissis, à quibusvis actoribus, cau-
 fidicis, litigantibus, tam intra quam extra
 iudicium, liberi penitusque absoluti sint &
 teneantur.

Nec eos quiuis iudex ordinarius, iudi-
 care

care valeat, aut præsumat quouis modo, si Anno
 qui etiam ex prædictis castra, fortalitia aut 1626.
 munitiones spõte vel inuite manibus Hun-
 garorum tradidissent, aut assumpto extero-
 rum aut Turcarum auxilio nobis, aut Hun-
 gariæ, vel etiam vicinis prouinciis, damna
 intulissent, nec non liberas ciuitates, fodi-
 nas, oppida, villas, possessiones & prouen-
 tus, quouis nominis vocabulo nuncupatos
 percepissent & prætere possent, sicut si-
 cut supra dicti absoluti. Ita tamen, vt de
 cetero ab omnibus huiusmodi penitus ab-
 stineatur. Sicut & præscriptorum Comita-
 tum status nobis & successoribus nostris
 legitimis Hungariæ Regibus ad perpetuam
 fidem & fidelitatem ac obseruantiam obli-
 gati esse debebunt. Quod saluis tamen iu-
 ribus & libertatibus Regni permanentibus,
 nunquam defectionem, rebellionem, in-
 surrectionem, publicæ pacis perturbatio-
 nem, vicinarum prouinciarum inuersiones
 & populationes internam & externam cõ-
 spirationem, Turcarum & Tartarorum ac
 aliorum quorumcunque hostium, in Re-
 gnum Hungariæ & vicinas prouincias in-
 troductionem, priuata conuenticula, con-
 tra nostram Maiestatem contra bonum Re-
 gni in æternum molientur, vel quouis ex-
 quisito colore ac prætextu attentabunt, si-
 militer

Anno 1626. militer etiam reliquorum Comitatum
 Regni Hungariæ, statibus, liberisque
 Comitatus, & aliis quibusvis ditio-
 ni nostræ subiectis, similem in omnibus
 punctis & clausulis Amnistiam & obliuio-
 nem perpetuam benigne concedimus. Ex-
 ceptis iis personis, si quæ ex his contra suam
 Maiestatem sua sponte arma sumpserint, aut
 vero medio tempore huius motus, contra
 se inuicem violentias, rapinas vel cædes ex-
 ercuissent, aut damna patrasent, tales si à
 parte hoc modo læsa, vel damnificata iuris
 ordine citati vel quæsi fuerint, iudicio se-
 sistere & iudicium ordinariorum iurisdic-
 tioni subesse debeant & teneantur.

Nos Gabriel &c. Memoriam commen-
 damus tenore præsentium significantes
 quibus expedit vniuersis. Quod quum nos
 ad motus illos intestinos qui nuper in Re-
 gno Hungariæ exorti fuerant, pacifice com-
 ponendos, certis nostris Commissariis, vt
 puta Magn. Francisco Miko de Hydueg-
 he Summo Cubiculario; & Consiliario
 nostro, ac sedum Siculicalium Csihi, Gyr-
 gio & Kaszon Capitaneo: Et Sigismundo
 Loniay de NagyLona Comiti Comitatus
 Krassionensis Plenipotentiam dederimus.
 Qui quidem Commissarii nostri, postea-
 quam

quam cum Commissariis S. Rom. Impera- Anno
 toriæ ac Germaniæ Hungariæ Bohemiæ, 1626:
 &c. Regiæ Maiestatis similiter plenipoten-
 tiam habentibus, vt pote Illustris. & Reue-
 rendis. Comiti Nicolao Ezrihasy de Ga-
 lantha, perpetuo de Frakno, Regni Hun-
 gariæ Palatino iudice Cumanor. Comi-
 tatum Sopronien. Zolien. & de Boregh
 Comite, per Hungariam Locumtenente:
 Petro Pazman ArchiEpiscopo Strigonien-
 si, lociq; eiusdem Comite perpetuo, Prima-
 te Hungariæ legato nato, Summo & Se-
 cretiori Cancellario: Stephano Semnii de
 Kys Sengien. Episcopo Vaciensi, & per
 Hungariam Aulæ Cancellario. Item Mag.
 Stephano Ozerofies de Giletviz dictæ
 Maiestatis suæ Cæsareæ & Regiæ Consilia-
 riis, in ciuitate Posoniensi conuenissent,
 post plures & alios tractatus vltro citroque
 habitos, ad tollendos & sopiendos huius-
 modi motus, & perturbationes, cum præ-
 fata S. Cæsar. Regiaq; Maiestate ad infra-
 scriptam pacis ac mutuæ reconciliationis
 concordiam, oblationem ac condiciones
 deuenimus, quæ in hunc sequuntur mo-
 dum.

Primo. Vt Dominus Princeps fide Chri-
 stiana mediante firmissime promittat quod
 nunquam

Anno nunquam contra Maieſtatem eius Cæſareã
 1626. & Regiam, Auguſtamq; domum Austria-
 cam, ac ditiones Maieſtatis ſuæ, ſucceſſori-
 busque eiufdem legitimis ſubiectas, arma
 vel hoſtilitatem vllam ſub quouis quæſi-
 to colore ac prætextu mouebit; neque er-
 ga Maieſtatem eius male affectos iuuabit;
 neq; vllam cum ipsis correſpondentiã ha-
 bebít. Turcas & Tartaros alioſque Regni
 æmulos, contra Regnum Hungariæ, & a-
 lias ditiones Chriſtianas non concitabit;
 neque euocabit, militemque proprium aut
 extraneum in ditiones Maieſtatis eius non
 introducet neq; intromittet. Conſilia no-
 xia contra Maieſtatem ſuam non agitabit;
 quin imo noxias aliorum, ad turbandã
 pacem ſtatumque tranquillum, ſuggeſtio-
 nes & ſollicitationes, auctoresque illarum
 in ſignum ſynceræ erga bonum publicum
 affectionis Maieſtati eius manifeſtabit:
 Idem quæque à parte Maieſtatis eius fiet.

Secundo q̄ idem Dominus Princeps ſta-
 tim ac de facto cū vniuerſis ſuis copiis tam
 domeſticis, quam auxiliariis è prouinciis
 & ditionibus Maieſtatis eius in Tranſylua-
 niam vel ad partes Hungariæ per Maieſta-
 tem eius, ſibi ad dies vitæ benigne datas
 recedat, ac vniuerſa bona ditionum Maie-
 ſtatis

restatis eius Comitatus ciuitates, loca con- Anno
 finiorum, bona fiscalia, & Coronæ Regni 1626.
 cuiuscunq; generis, bona etiam quorum-
 cunq; fidelium Maiestatis eius qualitercū-
 que per hosce motus occupata, de facto re-
 stituat, non auectis tormentis, aliisq; rebus
 in confiniis ac occupatis repertis, nec dam-
 na vlla inferendo, vel Montanis Ciuitati-
 bus vel aliis locis. Quod si quæ tormenta
 & munitiones, nunc auecta, distracta,
 aut asportata fuissent; Dominus Princeps
 restituat.

Tertio. Vt Mansfeldiæ Comitem, &
 qui cum eo prouincias, & Regna Maiestatis
 eius inuaserunt, & adhuc de facto penes
 Dominum Principem existunt, à se amoue-
 at, nec vllam deinceps assistentiam illis præ-
 beat. Porro ratione intercessionis, Domino
 Principi annuit benigne Maiestas sua lite-
 ras salui conductus dare, si qui ex illis co-
 piis Germanicis, illas sibi à Maiestate sua de-
 misse peterint. Ea tamen conditione, ne
 cum vexillis eant, neque simul omnes, sed
 turmatim, ita vt circiter centum vna profi-
 ciantur, neq; se cum hostibus Maiestatis e-
 ius, in Silesia ditionibusque Maiestatis suæ
 coniungant.

Quarto. Ac vt futuræ pacis securitas &
 G Stabili-

Anno stabilitas certius sperari possit statim à per-
 1626. mutatione Diplomatum, expeditis à Maie-
 state suâ certis Commissariis, septem Comi-
 tatus ad dies vitæ Domino Principi à suâ
 Maiestate benigne dati, ac separatim ciuita-
 tes in iis existentes, nec non separatim sin-
 gula oppida liberorum Haidonum Reuer-
 salibus sese obligabunt. Magistratus vero
 & Officiales, sicut & fortalitiorum Capita-
 nei & præsidarii milites præsentis & futu-
 ri, iuxta Articulum XII, Pacificationis Vien-
 nensis etiam iuramento sese obligabunt
 præsentibus Commissariis suæ Maiestatis:
 Quod nullo vnquam tempore, ad vllius
 mandata, arma offensiva cõtra Maiestatem
 suam, successoresq; eius legitimos Reges,
 & Regnum Hungariæ fidelesq; Maiestatis
 suæ subditos sument, neq; hostilitatem vl-
 lam exercebunt. Insuper omnes & singulos
 præsentis transactionis Articulos in omni-
 bus suis punctis, & clausulis, sancte & inuio-
 labiliter obseruabunt. Transyluania quoq;
 in Comitibus primitus celebrandis similes
 literas assecutorias dabit, ac Maiestati eius
 Dominus Princeps transmittet.

Quinto. Deinde difficultates, quæ circa
 superiorum temporum pacificationis me-
 dio tempore ante hunc postremum mo-
 tum

tum occurrerunt, eodem tempore compla- Anno
nentur, quo prædicta iuramenta in præsen- 1626:
tia Commissariorum Maieſtatis ſuæ præſta-
buntur.

Sexto. Porro quia Dominus Princeps,
pro ſuo erga Maieſtatem eius, nomenque
Christianum, & gentem ſuam ſingulari af-
fectu, omnem operam ſuam ſeſe interpoſi-
turum obtulerit, vt Damaldum reſtituatur;
dummodo pacis inchoatę felicem progres-
ſum & exitum cernat. Ideo hanc ſuam ob-
lationem ſi quidem pax cum ipſo Domino
Principe iam concluda eſt, efficiat vt ſtatim
& de facto confinium illud Turca reſtituat:

Septimo. Inſuper iuxta priorum quoq;
tractatum normam captiui vtrinque gra-
tis dimittantur. Eorum porro qui in Tur-
carum captiuitatem inciderunt, liberatio-
nem Dominus Princeps omni ſtudio pro-
curet.

Octauo. Si qui autem ex ſubditis Maie-
ſtatis ſuæ iuramento ac Reuerſalibus ſeſe
vel nunc vel antea obligaffent Domino
Principi eiufmodi iuramentum ipſo facto,
vigore tantum præſentis concludionis rela-
xatum ſit: Reuerſales autem apud ſe habi-
tas Dominus Princeps reſtituat.

Nono, Quibus præmiſſis à Domino Prin-
cipe

Anno cipe acceptatis, & cōfirmatis benigne con-
 1626. sentit Majestas sua, vt Comitatus ad dies
 vitæ Domino Principi in prioribus tracta-
 tibus concessi, ac cætera omnia eidem da-
 ta, iuxta eorundem tractatum specifica-
 tionem maneant in vigore.

Decimo. Si quid vero difficultatis deinceps, circa pacis cōclusæ executiones obo-
 riretur, id quiete, & bona fide, per Commis-
 sarios vtriusque partis complanetur.

Vndecimo. Reliqui verò omnes prio-
 rum pacificationum Niklaspurgensis &
 Vienen. Articuli, de quibus in præsentī hac
 pacificatione contraria conclusio, vel ad
 partem assecuratio non haberetur, in om-
 nibus punctis & clausulis maneant in vigo-
 re, quos etiam per præsentēs auctoritate
 sua Cæsarea & Regia plene & integre de-
 nuo Maiestas sua confirmat & roborat, ex-
 cepta solutione triginta millium floren-
 rum & cura confiniorum Domino Princi-
 pi concessorum.

Nos itaque Gabriel & c. quibus à natura
 institutoq; nostro nihil carius potiusq; vn-
 quam fuit, quam saluti & tranquillitati po-
 pulorum nobis diuinitus cōcessorum con-
 sulere, præscriptos vniuersos & singulos Ar-
 ticulos, ac omnia & singula in iis contenta,

ex cer

ex certa nostra scientia, & animo bene de- Anno
 liberato acceptamus, approbamus ratifica- 1626.
 mus, & confirmamus. Assesurantes sæpe
 dictam Sacram Cæsar. Regiamq; Maiesta-
 tem eiusque successores legitimos Hunga-
 riæ Bohemiæ &c. Reges, in verbo nostro
 Principali & bona fide Christiana, quod
 præscriptos vniuersos Articulos, in omni-
 bus suis punctis & clausulis, tam nos ipsi
 obseruabimus, quam etiam per alios sub-
 ditos nostros, cuiuscunque status, & condi-
 tionis sint, obseruari faciemus. Ad quod
 obseruandum, etiam successores nostros
 legitimos quos videlicet tractatio ista con-
 cernere dignoscitur obligatos esse volu-
 mus. Harum nostrarum manus nostra
 subscriptione roboratarum, vigore, & te-
 stimonio literarum mediante. Datum
 Leutschouix, die 28. Xbris, Anno 1626.

In alia etiam orbis parte pacis fama in- *Conuentus*
 crebruit, constituisse nempe Hispaniarum *ordinum*
 Regem pacem cum confederatis Belgii *provincia-*
 prouinciis inire, cui promouendæ confe- *rum unita-*
 deratarum prouinciarum, vt & Bataui & *rum Belgi-*
 Frisiæ ordines, & Illustr. Vranix Princeps, *carum.*
 conuentu instituto, mature deliberatio-
 nem instituere, quid hac in re, vt & de in-
 terdicto omnium negotiationum superio-
 ri an-

Anno rianno vtrunque edito tollendo, statuen-
 1626. dum foret: id quod multi Christiani orbis
 principes finitimi grauiissime vrgebant.

Propter hyemis vero & aeris inclemen-
 tiam milites vtrunque in hiberna deducti,
 præter eas copias, quas Comes à Berg noui
 transitus tutandi gratia in castris contine-
 bat.

Sexaginta interim naues Hispanæ Duin-
 kerckam, militibus 5200. instructæ, appu-
 lerunt, ad Batauorum & Anglorum impe-
 tus retundendos. Dunkerkana vero na-
 ues cum aliis Hispanicis sese coniungere, &
 naues nouem Anglicas, & Batauas depræ-
 dati submersere, reliquas dissipauere, &
 portum quendam Hiberniæ, 600. nauium
 capacem, vt & castellum Sorlages, in pote-
 statem redegere, & præsiidiis muniuere.

*Res à Da-
 nia Rege
 gesta.*

Rex interim Daniæ, vna cum filio Hol-
 satia Ducatum petere, & copiarum lu-
 strationem instituit, Magdeburgi vero An-
 tistites Halæ Saxonum, conuentum pro-
 uincialem indixere & 24. Dec. DD. Altrin-
 gero, & Abbati in Strohoff, S. Nortberti E-
 piscopi quondam Magdeburgensis, anno
 1144. defuncti ossa & reliquiæ sollempniter
 traditæ sunt, in Bohemiam transferendæ.

Generalis interim Comes Tillius castra

Redheg

Redhemii, duobus à Verda milliaribus di- Anno
 stante metatus, munitionibus cingi cura- 1627,
 uit, præfidiarii vero Nienburgen. 25. Dec.
 Oubernburgi turmam Cæsareanorum quã-
 dam aggressi sunt, qui numero impares,
 in cœmeterium monasterii sese recepere,
 Nienburgensibus præda relicta.

Meuensem urbem superiori mense Po- *Polonus ur-*
 loniæ Rex obsidione cinxerat, verum præ- *bem Me-*
 fidiariorum virtute repulsus, obsidionem *nam tentat.*
 tum temporis soluere coactus, hoc demum
 mense, secundo eam aggressus bellica ma-
 china (petardam vocant,) portas subverte-
 re, & in urbem aditum sibi patefacere co-
 natus est, quod animaduertentes præfidia-
 rii Polonos tanto tormentorum fulmine
 exceperere, vt retro cedere, relicta machina
 non sine damno cogerentur. Sueci interim
 in præfidiis suis tuti latent.

Induciis constitutis inter S. Cæs. Majest. *Cæsar. ex-*
 & Transyluania principem, Cæsareus ex- *ercitus Si-*
 ercitus ob diuersas irruptiones & depopu- *lesiam in-*
 lationes Vinariensium, Vngaria Silesiam *greditur.*
 versus iter arripit, & duce Pechmanno 65.
 turmæ equitum, legiones sex peditum, &
 2300. equites sclopetarii, castra in Silesiæ
 Ducatu metantur, conuentu Lignitzii prin-
 cipum & statuum indicto, quo exercitui de
 com meatu prospiceretur.

Anno 1627. Vinariensis contra lustrato exercitu, oppida & loca omnia, quæ in potestatem suam hucusque redegerat, præsiidiis firmat, & oppidum Sternburgum vna cum arce: occupat, incendioque deuastat. Hostilibus ergo conatibus eius auertendis Friedlandiæ Dux quæ maximū exercitum instruere constituit.

Nonnulli interim copiarum Mansfeldicarum ductores, 15. Ianuar. Venetias appulere, milites conscripturos sese, præ se ferentes, quamuis Mansfeldium ipsum haud procul Venetiis fato factum, famum ferat.

Vinarienses vero 17. Ianu. Iegerndorffio Cossacos prope Neostadium magna vi in pago quodam aggressi, nonnullos ex iis cædunt, & pago incendio deformato, Iegerndorffium regrediuntur.

Res inter

*Cæs. & Dani-
cum ex-
ercitum
gesta.*

Hoc rerum statu Daniæ Rex, urbem Nyenburgum annona, & aliis necessariis rebus refici curauit, hinc 24. Ian. Rensburgo Odenseam versus profectus, Comitiam eo locicelebrabat. Cæsarei vero arcem Ottersbergam, haud procul Brema distitam vano conatu oppugnare conati, paucis amissis retro pedem ferre coacti fuere: Decimo septimo inde Ianuar. suburbia Arcis Guelphorum, Gorteslager dicta, noctu adorti, septuaginta ex præsiidiariis cæsis, nonnullos captiuos abducunt.

Comi-

Comitia interim S. Cæs. Majest. Viennæ Anno
 prouincialia celebrabat, & 18. Ian. Stati- 1626.
 bus & ordinibus Austriacis propositionem, *Comitia*
 vna cum articulis quibusdam ad delibe- *Viennensia.*
 randum proponi curat.

Captiui interea ex Austriaca prouincia,
 qui variis velitationibus dispersi in Cæsarei
 exercitus potestatem peruenerant, in car-
 ceribus hoc tempore Lintzii detinebantur,
 & de excitata seditione eiusque authoribus
 accurate interrogati, ac quæstionibus sub-
 iecti fuere.

S. Cæs. Majest. Domino nostro Clemen- *Copia Ca-*
 tissimo Equestris ordinis viri Ducatuū lu- *sar. Manda-*
 liacensis, & Montensis, ante hoc significarāt, *ti contra*
 variis sese huc vsq; grauaminibus, exactio- *Comitem*
 nibus & aliis oneribus ac molestiis contra *Palatinum*
 antiqua priuilegia, immunitates & conces- *Neoburgen-*
 siones ab Ducibus quondam Iuliacensibus, *sem.*
 & Montensibus ipsis concessas, prægraua-
 tos fuisse, & adhuc prægrauari, non atten-
 to, quod vigore allegatorum priuilegio-
 rum, & immunitatum ipsis concessorum,
 ab omnibus oneribus, exactionibus, & cen-
 su etiam bonorum & possessionum sua-
 rum ratione eo vsq; immunes fuerint, nec
 officia ab illis in commodum prouineia,
 aliter, quam principum sumptibus præsti-
 ta, libe-

Anno ta, liberumq; ipsis semper fuisse, Directo-
 1626, rem & Syndicos ex suis eligere, quorum o-
 pera in Comitibus libere vterentur. Verum
 Celsiss. Principem D. suum Clementissimū
 Comitibus 13. August. proxime elapsi anni
 Dusseldorpii indictis, liberam electionem
 Directoris ipsis minime concedere voluis-
 se, aliisque oneribus & grauaminibus, (in i-
 psius mandati formula perscriptis) prægra-
 uasse.

Cum igitur à S. Cæs. Majest. subiectissi-
 me omnia, & singula eiusmodi attentata,
 reuocari, & desuper processus & mandata
 debita sibi decerni rogarint, obtinuerintq;
 Cæs. S. Majest. mature omnibus, & singu-
 lis perpensis, omnia illa & singula, quæ ipso
 iure nulla, ex officio Cæsareo & potestatis
 plenitudine, (prout etiam à Diuo Rudol-
 pho augustissimo memoriæ, & S. etiam Ma-
 jest. ante hac factum,) tollere, & annullare,
 mandareque præfato Cels. Principi Comi-
 ti Palatino &c. vt & omnibus ac singulis lo-
 cum tenentibus, Cancellariis, & Consilia-
 riis, aliis præfectis, & prætensis magistratib.
 ex prædicta potestate Cæsar, & plenitudine
 potestatis, sub pœna centum auri marca-
 rum puri, pro dimidia parte Cæsareo Fisco,
 & altera dimidia Equestri ordini actoribus
 soluen-

soluendarum, vt prædictos Equestris ordi- Anno
 nis viros, incolas & subditos Ducatum Iu- 1627.
 liacensis, & Montensis, iuramentis, & man-
 datis aliisque iuri contrariis decretis inpo-
 sterum minime grauare, nulla Comitata, vel
 conuentus prouinciales instituire, neque
 contributiones vllas, sub quouis prætextu
 exigere præsumant: quin potius præfenti
 mandato Cælareo in omnibus sese mori-
 geros, & obedientes præstent: &c. Viennæ
 12. Ian. 1627.

Extruxerat superiori anno Comes à Polonia Sue-
 Thurn, Junior, qui à Suetiæ Rege in Suetiã *cis cast.*
 redeunte, exercitui præfectus fuerat, vali-
 dissimam munitionem haud procul à Ca-
 stris Polonicis distantem, & hoc mense cu-
 niculis actis substrato puluere tormentario,
 simulato metu, ea excedit, hanc igitur
 post eius discessum Poloni lætabundi in-
 gressi, puluere ignem concipiente, magna
 strage affecti fuere, vltra 4000. ex iis mise-
 rando spectaculo discerptis, & occisis.

Nec benignior fortunæ aura eis Wen-
 dæ affulsit, prælio enim congressi cum Sue-
 cis, magno numero ex suis occisis, & præda
 insigni amissa, fuga salutem quærere coacti
 sunt.

Dantiscum interea vrbs magnis difficul-
 tatibus

Anno tantibus ob vicinum Sueci exercitum, & anno 1627. nonæ penuria oppressa, maiori etiam civium parte ad Sueci partes transfugiente.

Naues aliquot in mari submersæ.

Tempestate quam maxima 9. Febr. in Oceano exorta, navis ex India orientali rediit, procellis sæuissimis agitata, circa Franciæ oras prope Cauerdonâ, submersa est, in qua 400. homines vtriusque sexus, submersi, & merces pretiosissimæ quarum valor ultra duas auri milliones ascendebat, periere, pari fortuna cõflictatæ naues quadraginta tres minores omnes, præter sex submersæ. Naues etiam quinque bellicæ, in occursum priorum emissæ, 14. Febr. submersæ, in iisque 350 homines suffocati. Iactura & damnum mercium submersarum, quinque ducatorum milliones, exceptis, quæ negotiatorum fuerant, bonis & pecuniis excedit, hominũ vero ultra 4500. in quibus 3000. militũ, hoc tristissimo pelagi furore miserrime periere, omnia etiã arma, quæ Placentiæ Hispaniarum Rex fabricari curauerat, submersa.

Res in Silesia gesta.

Sed ad nobis propiora reuertamur. Turmæ aliquot, quæ sub Ill. D. à Dohna, merebant Iegerndorffium, haud ignobile Silesiæ oppidum aggressi, suburbia deprædantur, verum præsidarii, 6. Febr. redeuntes præstolati, quamplurimis ex iis trucida-

tis

tis, prædã omnem recuperarunt. Hinc Anno
Neostadium Moraviæ oppidum intercipe- 1627.
re tertiũ conãtes, pedem referre coacti sunt.

Kniphusius interim ordinum ductor,
qui Halæ Saxonum in arce adhuc captivus
tenebatur, lugubri vestitu, delusis custodi-
bus, euasit.

Hoc etiam mense Febr. Illustr. Princeps
à Liechtenstein, postquam quamplurima
ad expeditionem bellicam necessaria, ma-
gna cura adornasset; omnium bonorum
cum luctu, fato placidissime functus est.

*Ducis Lich-
tensteinis
obitus.*

Sæuiente interim hyemis tempestate ni-
hil fere memorabile in Belgio gestum, præ-
sidiarii solum subitis excursionibus hostes
suos aggressi, vicina infestare loca ex vtra-
que parte conabantur.

*Res in Bel-
gio gesta.*

In Angliæ verò portibus, & maris litto-
ribus nouæ extructæ munitiones, & omnes
naues Hispaniam versus tendentes, vel in-
de redeuntés, occupantibus in prædã con-
cessæ. Ipse interim Angliæ Rex secretiora
cum Soubisio consilia agitans de Rupella
intercipienda consilium cepisse visus est
qua vrbe in potestatem redacta liberior in
Franciæ regnum, aditus redderetur. Du-
cem vero Bukingamum, itineri Gallico iam
accinctum, ob sinistros quosdam de eo
sparsos rumores, retineri, mandauit.

Grifo-

Anno Grisonibus etiam hoc tempore benignior
 1627. pacis aura affulgente, tandem 29. Febr.
Res in Italia copiae Pontificiae juxta pacificationis con-
gesta. stitutionem prouinciam ingressi, & armo-
 rum terror sublatus est, copiis Mansfeldi-
 cis dimissis, & tormentis bellicis Hispanis
 redditis.

*Seditio no-
 ua contra
 Turcarum
 Imp. exorta.*

Ex altera vero orbis parte noua excitata
 seditione Emir di Sayda, Ottomannici Im-
 perii vasallus, instigante Persarum Rege,
 validissimo collecto exercitu, primariam
 quandam Soriae urbem in potestatem re-
 degit, Damascum etiam oppugnare con-
 stituit.

*Gloggouia
 minor ab
 Vinariensi-
 bus occupa-
 ta.*

In Silesiae interim Ducatu Vinarienses
 copiae Gloggouiam minorem s. Febr. in-
 tercepisse, fama ferebat, & praesidiarios o-
 mnes, exceptis Germanis, obtruncatos
 esse.

*Pacis tra-
 ctatio cum
 Turcis in-
 stituta.*

Pacis interea tractatio cum Turcarum
 Rege hoc tempore redintegrata, & 15.
 Martii dies huic pacificationi praestitutus
 est: huicque negotio Illustr. Comes ab Alt-
 heim, destinatus; Turcas vero depræda-
 tionibus & deuastationibus Vngariae fines
 infestas reddere nihilominus, & Transyl-
 uaniae Ducem instructissimas copias
 collectas habere, fama
 vercrebruit.

INDEX MEMORABILIVM, quæ hoc libello continentur.

<p>Anglia & Francia regum dissidia, 88</p> <p>Anglicana classis Hispaniam petit, 63</p> <p>Bataui à Comite in Berg casti, 61.</p> <p>Brunsvicensis Ducis cum Casa- re reconciliatio, 7</p> <p>Comitia Turonensia, 87</p> <p>Dania Regis litera ad ordines Belgicos, 71</p> <p>Dania Rex exercitum lustrat, & copias novas conscribit. 8</p> <p>Dunkerkanæ naues aliquot de- pradantur, 60</p> <p>Electoris Moguntini obitus, 18.</p> <p>Novi electio, 72</p> <p>Genua urbs munita, 62</p> <p>Holsatica Comitia, 76</p> <p>Hispani Regis edictum, 88</p> <p>Holsati à rusticis Austriacis casti, 22.</p> <p>Lichtensteinii Ducis obitus, 109.</p> <p>Lignicensis Ducis edictum, 10. 12. 64.</p> <p>Mansfeldius in Moraviam ex- currit, 9</p> <p>Mandatum Casareum contra Iuliacensem, 105</p> <p>Naues aliquot in mari sub- mersa, 89. 108.</p> <p>Ordines Belgii confederati ar- cem Kelderiam vano cona- tu tentant, s. conuentum ce- lebrant, 101</p>	<p>Pacis tractatio cū Duce Tran- sylvania instituta, 90. cum Turcis, 110</p> <p>Polonus urbem Mevam ten- tat, 103</p> <p>Res in Italia gesta, 18. 62. 73. 101. in Belgio, 19. 109. in Anglia, 21. in Gallia 61. in Vngaria, 74. in Silesia, 108</p> <p>Res à rusticis Austriacis gesta, 68. 81. 87.</p> <p>Res inter Casar. exercitum & Danicum gesta, 69. 74. 102. 104.</p> <p>Rheni & Mosa fl. cōiunctio, 20.</p> <p>Rusticis Austriacis nullam le- gitimam fuisse causam, ob- quam seditionem excita- rent, 24</p> <p>Seditio contra Turcam excita- ta, 110</p> <p>Suetia & Polonia Regum gesta, 7. 79. 107.</p> <p>Tartari à Polonis casti, 86</p> <p>Tillius loca quadam occupat, 22.</p> <p>Transylvanici in Vngariam præfiscitur, 16. suas cum Turcis copias coniungit, 69.</p> <p>Turca à Persis casti, 67</p> <p>bellum contra Persas instau- rant, 87. nonnulla Vngaria loca depradantur, 16</p> <p>Vinariensis Moraviam cum exercitu ingreditur, 10. eius gesta, 64.</p>
--	---

F I N I S

B6.6.137(16,1-4.)

X 260 9080

ULB Halle


3

006 790 518




VD 17

K





MERCVRII GALLOBELGICI,
M. GOTARDO ARTHUSIO p. m. Suc-
CENTVRIATI,
Sive
RERVM IN
GALLIA ET BELGIO PO-
TISSIMVM; HISPANIA QVOQVE,
ITALIA, ANGLIA, GERMANIA, VNGA-
ria, Transylvania, vicinisq; locis, à nundinis Francofor-
diensibus 1626. autumnalibus, ad vernaes vs-
que anni 1627. cum primis gestarum,
HISTORICÆ NARRATIONIS
continuata,
TOMI DECIMI SEXTI,
LIBER SECVNDVS.
Verè & fideliter conscriptus per
GEORGIVM BEATVM Fr.



FRANCOVRTI,
Sumptibus vidua Sigisfrondi Lanomi, Anno 1627.